VITA S. BERNARDI MENTONIJ CANONICI REGULARIS S...

Roland Viot, Adam Schirmbeck

VITA
S. BERNARDI
MENTONII.

VITA S. BERNARDI MENTONII CANONICI REGVLARIS S. AVGVSTINI.

Qui duo Monasteria & Xenodochia in Monte & Columnâ Iouis instituit.

AB ADM. R. D. ROLLANDO VIOTO dictorum locorum Præposito Gallicè conscripta,

A. P. ADAMO SCHIRMBECK SOCIET: JESV SACERDOTE Latinè reddita.

MONACHII,
Typis LVCÆ STRAVB, Sumptibus
IOAN: VVAGNERI, Bibliopolæ.

ANNO M. DC. LII.

REVERENDISSIMO
ET AMPLISSIMO PATRI
ac Domino, Domino

IACOBO

MONASTERII CREÜZLINGENSIS ABBATI, ET PRÆPOSITO IN RIEDERN DIGNISSIMO

Patri ac Domino suo colendissimo.

DIU NULLUM LÆtius imperium mihi fuit, quàm cùm S. BERNARDUM MENTONIUM, Canonicorum Regularium S. Augustini decus & ornamentum singulare, è Gallico sermone in Latinum à me translatum, jussus fui, Reuerend.mæ Pat.tis V.æ amplis-

plissimo nomini inscribere. Etsi enim ignotus & remotus potuissem vereri, ne, si meâ sponte aliquid auderem, importunus aduena in Religiosum conclaue non sine inurbanitatis notâ irrumperem: fuit tamen ea religio & maiorum jussu mihi exempta, cui reluctari nec inuitus debebam; & post tantam humanitatis famam, quæ in Reuerend.ma P. V. etiam hîc loci celebratur, ne monitus quidem sumere animos potui, Diuum meritis æquè clarum, atque vulgò ignotum ignotus notissimo Præsuli dedicandi: siue vt S. Bernardum Sanctissimi eiusdem Instituti cum Reuerend.ma P. V. olim sectatorem suæ origini ac domicilio restituerem;

ſiue vt tenue ſaltem grati animi documentum ob ſumma beneficia extaret, quibus Reu.ma P. V. totam Societatem in vnâ Prouinciâ, & Prouinciam in vno Collegio non vno beneficiorum genere ſibi æternùm demeruit. Teſtantur id Collegæ omnes, qui & nunc Conſtantienſe Collegium incolunt, & olim habitârunt, R.ma P. V. nihil in Socios eſſe humanius, nihil in domeſticam eorum inopiam liberalius: adeò quidem, vt, ſi Aſceterium illud, cui Reu.ma P. V. maximis exemplis ac mitiſſimis imperijs præeſt, totâ Germaniâ celebre, nullam antè celebritatem nominis religioſiſſimis moribus & originis antiquitate conſecutum fuiſſet; vel v-

nâ Reu.^{mæ} P. V. in Societatem nostram minimam beneficentiâ & Sociorum commendatione in omnium ore esset. Quæ omnia si ad calculos minutim vellem reuocare, librum facerem, ipso, quem Reu.^{mæ} P. V. dicatum volo, libello multò maiorem. Sed quia dubitare non possum, omnia in nos inde profecta beneficia, quæ accipere nobis facilius fuit, quàm numerare, pridem esse cælo & diuinis rationibus inscripta; vt à DEO judice in partem non minimam summorum meritorum trahantur: supersedeo R.^{mæ} P. V. modestiâ abuti. Mihi sufficiet, Prouinciæ vniuersæ, Reu.^{mæ} P. V. innumeris nominibus obstrictæ, debitum hoc exiguo mo-

numen-

numento non quidem exſolue-
re, id quod fieri nullo volumine
queat, ſed teſtari. Poſtremò Vi-
tæ tam ſanctæ interpres, Reu.^{mæ}
P. V. hîc diuturnam ac incolu-
mem, illic æternùm felicem pre-
cor.

Reu.^{mæ} & Ampliſſ.^{æ}
Pat.^{is} V.^{æ}

Seruus in Chriſto
Minimus

ADAMVS SCHIRMBECK
S. I.

APPROBATIO R.P. PROVINCIALIS.

Vitam S. Bernardi Mentonij Canonici Regularis S. Augustini, Gallicè conscriptam ab admodum R.do D. Rollando Viojo eiusdem Ordinis in Monte & Columnâ Iouis Præposito, nunc in linguam Latinam à P. Adamo Schirmbeck nostræ Societatis Sacerdote, translatam, atque à deputatis Patribus censam probatámque, ego Georgius Spaiser Societatis IESV per Superiorem Germaniam Præpositus Prouincialis, factâ mihi potestate ab Admodum R. P. N. Generali Gosvvino Nickel, in lucem dari permitto. Insuper potestatem Ioanni Wagner Bibliopolæ Monacensi concedo, ius Cæsarei priuilegij vsurpandi, quo Typographis & Bibliopolis omnibus facultas adimitur, vulgatos à Societatis IESV Patribus libros, citra Superiorum Authorúmque consensum recudendi aut intra S. R. Imperij ac Prouinciarum Sac. Cæs. Mai. hæreditario jure subiectarum fines importandi. Horum fidem facio meâ manu, & Officij Sigillo. Monachij. 15. Maij Anno 1652.

GEORGIVS SPAISER

LIBER PRIMVS VITÆ S. BERNARDI MENTONII.

Qui Monasteria & Xenodochia in Monte & Columnâ Iouis instituit.

CAPVT I.

De S. Bernardi Mentonij ortu & antiquissimâ Nobilitate.

DEvs, qui vbique gentium quolibet æuo viros quosdam sanctos, ceu totidem sidera, Orbi indulsit, vti S. Gregorius memorat: *a* vt oculis nostris diuinarum perfectionum diem, virtutúmque heroicarum lucem obijceret; in Allobrogum cælo nasci ac splendere añо post Devm-Hominem nongētesimo, vigesimo

a 1, *Moral.*

ſimo tertio S. Bernardum, cuius vitam explicare aggredimur, ceu propitium ſidus voluit: qui gentem illam primùm exortu ſuo recrearet; poſtmodum præclaris exemplis, cæleſtíſque patrocinij influxu bearet. Et quemadmodum aſtra recentia nunquam ſine nouis beneficijs exoriuntur: ita Luciferi nouiter micantis vita nil aliud fuit, quàm perfecta Sanctitatis idea, & continuus ad perfectionem aut veriùs perfectionis curſus: ad cuius exemplar cuiuſque vita, etſi maximis decoribus illuſtris, conformari queat. Porrò gloriam, quâ illius merita ſunt in cælo coronata, eximia beneficia ſunt conſecuta, quæ & olim natale ſolum conſecrârunt, & etiamnum in dies diuinis muneribus exornant. Quippe ipſius electio prorſus rara, vocatio prodigioſa, admirandus diſceſſus, vita ſanctiſſimè acta, opera diuina, miracula numero & fine carentia, virginitas, quam profitebatur, Angelica, ſimplicitas columbina Spiritui S. familiaris, generoſus huma-

humanæ gloriæ contemptus, luculentæ victoriæ à ſtyge reportatæ, pietas prorſus extatica, ardens alienæ ſalutis ſtudium, aliæque illius egregiæ virtutes, ſub ſignis diuini amoris in aciem diſpoſitæ, & ſplendore vetuſtiſſimæ Nobilitatis illuſtratæ, veluti totidem Solis huius radij ſunt, qui Alpium jugis imminens nouum diem toti videtur Europæ intuliſſe. At ego vereor, ne idem mihi, quod pictoribus, eueniat; qui hunc Aſtrorum Principem coloribus expreſſuri, eius venuſtati iniuriam faciunt; quando ex horizonte emergens omnem illorum operam pudefacit. Quid enim hîc aliud ago, dum archetypos aureæ lucis radios ductu rudiori deſcribo, viliq; carbone illius candorem obfuſco? Attamen vt coloris viuidi ac renidentis præſtantia oculos perſtringit, tanti fulgoris impatientes: ita operis à me ſuſcepti magnitudo facit, vt eius dignitati cogitationes meas omnes videam ſuccumbere. Dubito ſanè, num ſplendorem eius ni-

nimium, an verò temporis negligentiam incuſem, quod malè videtur Bernardo prouidiſſe; dum ſcriptorem excellentibus eius factis parem non ſuppeditauit: alterum enim Ioſaphatum decebat ab altero ſaltem Damaſceno ſcribi. Quòd ſi labor hic meus feliciori calamo poſſet ſtimulos addere, tabulæ meæ denuo operam admouendi, aut additâ limâ vltimam manum imponendi: excuſationi mihi foret, minùs feliciter laboráſſe, ne dicam, meliori ſcribendi argumentum ſubminiſtrâſſe. Neq; interim vlli conuitium dicerem, quòd mihi præripere palmam, meíſque exuuijs ornare ſuam lucubrationem voluerit: etſi nullus poſſit ſibi tantum ingenij polliceri, vt Diui huius merita exæquet: cùm non niſi ſanctas purgatáſque manus deceat, iſtas reliquias attingere; & felicis tantùm ingenij ſit, Angeli vitam exponendam ſuſcipere: quod facilè patet conſideranti, inter profanam ſacrámque hiſtoriam multùm intereſ-

ſe,

se. In illâ namque stylus est factis longè fœcundior: quando in istâ Diui semper maiora quauis oratione præstiterunt. Verùm ne longis ambagibus præludam, quæ plerumque auctoribus in lucem suos partus edituris consueta, lectori plus fastidij afferunt, quàm aut eius exspectationi aut suis cœptis respondent. S. Bernardus in arce Mentoniâ versus Geneuensem ditionem fertili Allobrogum prouinciâ natus est anno Christiano nongentesimo vigesimo tertio, vt diximus, mense Iunio, vt est credibile. Parentes habuit, Richardum Baronem de Mentonio, virum generis dignitate ac potentiâ clarum, & nobilitate simul ac virtutibus illustrem feminam Bernolinam de Douino, ex Oliuerij Comitis Geneuensis generosâ prosapiâ oriundam, qui vnus è Paribus Galliæ fuit. Primus gradus ad eius felicitatem erat, hanc natalium originem fuisse nactum: quòd enim vtrumque parentem haberet virtute ac genere nobi-

lem; virtus ei propè natiua cum insigni, quam adhibuit, culturâ coniuncta, longè maiora sumpsit incrementa; quàm si in indolem minùs idoneam incidisset. Et quamuis res quælibet præstantior suomet se pretio commendet, neque deceat, aduentitiâ mutuóque acceptâ luce Diuos ornare: adhæc animæ suam originem è cælo trahant, æquali conditione corporibus per creationem infusæ: nihilominus quoniam Nobilitas est scaturigo virtutis, aut ab eâdem ceu surculus enascitur; ambæ suî pretium augent, magísque spectabiles existimationem suî maiorem conciliant: haud secus, atque pulchritudo plus gratiæ ac celebritatis addit, si cum virtute sit coniuncta. Certè præclara hæc indoles, quæ per arduos conatus Nobilitatem ad gloriæ comparandæ studium tam strenuè impellit, magnum est ad sanctimoniam instrumentum, & ala potens, quâ ad excellentem perfectionem enitaris; si semel fuerit in animo

fixum

fixum, rectà ad Deum contendere, & in eius manu quiescere. Quare videre est, magnis ortos natalibus persæpe sanctitate excelluisse, vtpote ab incunabulis suis officij admonitos, vt allaborarent, tanto apud Deum loco esse, quantum apud suos Reges obtinuerunt. Et vt alia quæuis exempla prætereamus, Deus ipse documento nobis est; qui voluit Filium suum è prosapiâ omnium nobilissimâ hominem oriri: quemadmodum in æternâ generatione secum eiusdem naturæ fuit. Dicat sanè aliquis, quemuis è sanctis fuisse nobilem, non autem vicissim in quouis nobili fuisse sanctitatem: neque tamen idcirco desinemus ijs gratulari, qui bono loco nati sunt, eósque ob prærogatiuam gratiam dicere felices, quam à natalibus & educatione sunt consecuti, quæ duo sunt præcipua adminicula, ad virtutem euadendi. Vt interim his hæreditariam maiorum gloriam non accenseam, quam generosa posteritas jam partam aggre-

greditur: dum alij, quippe conditione inferiores, oppidò se fatigant, vt in lucem & publicum decus emergant. Hinc, vt S. Ambrosius in Sanctæ Nobilitatis speculo S. Ioanne Baptistâ ostendit, *a* semper pluris est, habere, quàm consectari; possidere, quàm nancisci: illud enim propiùs ad Dei magnitudinem accedit; hoc autem humanæ indigentiæ propiorem facit. Vt paucis dicam, primaria nobilitas Christiani Herois nostri, hominum vulgo comparata, eiusdem sanctimoniam longè reddet illustriorem rarioremque; si eam à mille quadringentis retro annis perpetuò à summis Dynastis profectam repetamus. Quin Proceribus & Nobilitati gratior accidet, quibus inde ad virtutem stimuli addentur. Postremò maioris apud Deum meriti erit, eius causâ & amore pretiosa quæque abiecisse: vt est in tam illustri, opulentâ veterique familiâ vnici hæredis conditio. Hæc tamen absque vllâ gratiæ

cæle-

a *In Luc.*

cæleſtis iniuriâ dicta velim; quæ videri poſſet hoc ſermone aliquid incommodi paſſa: certum enim, palámque fatendum eſt, nullum bonum ſine gratiâ ad ſalutem prodeſſe aut conducere: neque vllum adeò è bonis naturæ quidquam mereri, aut ad obtinendam gratiam mortales diſponere: vt quæ ſola, pro Dei volentis arbitrio, mentes permouet, & ad ſanctitatem habiles facit; cuiuſcunque demum ſortis ac generis fuerint: prout ipſe Deus quempiam delegerit, gratuitæque vocationi quiſque factis reſponderit. Caeterùm illud quoque ad eius nobilitatem accedit, quòd ab Illuſtri ac potenti viro D. Bernardo Barone de Beaufort ſit è ſacro Fonte ſuſceptus; qui hoc præſtans blandúmque nomen ei impoſuit, à Bernardo mox inſigni ſpe, de futurâ illius magnitudine conceptâ, nobilitari cœptum: ad cuius ſucceſſum Deus voluit tam felicia omni ex parte omina cõſpirare: eius enim in Baptiſmate Sponſor vir magni nominis,

pater illuſtri celebríque domo oriundus, mater nobilium matronarum decus fuit. Anna pro ſobole vnum tunc Samuelem ſortita, felicem ſe reputauit: Eliſabetha ſolum Ioannem enixa, prolem aliam non expetebat: neque cælum ipſum dignius ob id foret, ſi geminos ſoles ferret. Ita & Bernolinam, cùm in partu omnia vni Bernardo dediſſet, non decebat plures natos habere. Vnica margarita omni maris arenæ præſtat; & vnus Bernardus totas filiorum legiones antecellit; Bernardus inquam, rectè cum cognomine ſibi nardo in omni vitâ & moribus comparandus: quæ herba eſt ſemper virens & odoris mirè grati. Vix enim vitæ limen ingreſſus, oculis primam lucem admiſit; cùm illicò ſuauem puritatis, pietatis ac ſanctimoniæ odorem exhalare cœpit: quem deinceps viuidum ſemper magnis acceſſionibus conſecrauit, pretioſi ſuffimenti aut electri inſtar, quod pro modo caloris, odorem excitantis, efficientíſque, vt iden-

identidem suauiùs exhalet, aërem suî fragrantiâ imbuit. At nunc Bernardum in theatrum producamus, in quo vitam Dei oculis dignam exhibeat, maximorum Cælitum gestis parem, vt sunt Alexij, Iosaphati, Calybitæ, & alij eiusdem generis: quos ille ad viuum imitatus, in omnibus cœptis ita expressit, vt ipse Nobilis posteritatis prototypon sit postmodum effectus.

CAPVT II.

De ipsius Infantiâ, Educatione, ac Studijs.

PRÆCLARE is olim sensit, qui asseruit, Eloquentiam & Demosthenem gemellos, Virtutem & Catonem eâdem matre eodémque partu editos esse. Verùm Orientis Patriarcha Iobus phrasi longè probiori veriorique vsus est, dum natam secum Misericordiam fuisse affirmauit; quibus verbis causam propensi erga miseros

animi reddebat; quem non magis celare quàm ſeipſum potuit, vt quo erat à matris vtero imbutus. Quâ Sententiâ rectiùs vti non poterimus, quàm ſi dicamus, videri cum S. Bernardo ſanctitatem natam: quando propè tam citò ſanctus eſſe quàm viuus cœpit. Certè ex quo tempore corpus potuit à ſpiritu regi, animúſque liberum ſuî motuúmque in membris vſum habuit, vniuerſim omnes Dei obſequio facultates impendit. Ab ipſis incunabulis vidiſſes eũ tenellas manus magnâ pietatis ſignificatione coniungere; velut in modum arcûs eas adducere, & aptato jaculo rectà collimare ad Dei, vt ſcopi ſui, cor voluiſſet, vidiſſes eam blandos oculos attollere; ceu amabili obtutu cælum ſalutare, aut innuere Numini ſuum amorem cogitâſſet: labella purpurea non ſecus commouebat, ac ſi jungere muſico inſtrumento vocem cuperet, eodémque tempore & manu citharam percurrere, aut digitis organum contingere, & humanâ voce

Dei laudes decantare: vbi credibile est, eum ſupremam Maieſtatem adoraturum, latriam exercuiſſe, ceu tempus & rationem præueniret, ipſe quoque gratiâ præuentus. Eius oblectamenta & crepundia circa Parentum precatorios libellos verſabantur, quibus non ſine admiratione ac ſenſu religionis aperiendis, verſandis, voluendíſque omnia ſua deſideria placabat; indubitato raræ quondam pietatis argumento vel inde ſuſpiciendus, quòd ponere aut reddere libros nollet, animi dolorem teſtatus, ſi quando illi ſuæ deliciæ auferrentur, è manibus non niſi vi extortæ. Illius lingua, olim Pſalterium diuinarum laudum futura, cùm primùm formare verba & balbutire potuit, munere ſuo rectè functa eſt, Sacroſancta Iesv & Mariæ nomina magnâ parentis vtriuſque conſolatione proferens: à quibus nonnunquam legere in pio libello ad explendam eius cupiditatem doctus eſt: in quo ſi bina hæc nomina occurriſſent, ſingulari reueren-

uerentiâ pronuntiabat, gestientis animi signis palàm apparentibus. Illi ergo in tam generosâ sobole visis tot secuturæ frugis documentis, studuerunt, probè ipsam excolere, cumprimis soliciti, quem idoneum ei moderatorem præficerent, prudentiâ, probitate, simul & doctrinâ insignem: sub cuius accuratâ disciplinâ tener surculus ad virtutem assurgeret, sensímque ad humana diuináque erudiretur. Et omnino votis parentum delectus respondit, vt jure gratulari sibi possent, filium eo tempore sibi fuisse natum, in quod simul tam exquisiti præceptoris copia incidisset. Quare cùm & illustris adolescens, totus in animi cultu, literis vltra quàm dici possit, addictus; & moderator omnibus disciplinis & aptâ docendi methodo instructus esset: educationis primordia felicem successum habuêre. Ergò in ipsâ Mentoniâ arce in oculis parentum sedulò excubantium, primis humanioris literaturæ initijs fuit imbutus;

tus; vt poſtmodum in celebrioribus Academijs reliquas artes penitiùs imbiberet. Quo in ſtadio decurrentis ingenium & virtus detegi, & admiratione complere omnes cœpit, quibus datum erat, eius progreſſus intueri. Porrò ſpecie oris erat admodum decenti, mirè gratus, & inſtar Gratiarum blandus, quæ in ipſum viſæ ſunt egregias quaſque dotes collocâſſe. Ingenio fuit acri & perſpicaci, induſtriâ indefeſsâ & ſciendi auidâ, animo docili ac tractabili, ſed ad vitia inexòrabili: natura in eo erat regia, facilis juxtà & ſeria: eius conſuetudo tam accepta & illecebris plena, vt omnium animos raperet, & ad ſuî amorem pelliceret. Fuit nihilominus ex alterâ parte in agendi modo adeò cautus ac moderatus; vt nullâ ratione rebus inhoneſtis ſe manciparet. Et prorſus mihi perſuadeo, in ipſo locum habuiſſe, quod tantis laudibus diuinæ literæ in S. Tobiâ extollunt: a *Cùm eſſet junior omni-*

a *Tob.* 1.

bus in tribu Nephtali, nihil tamen puerile gessit in opere. Denique cùm irent omnes ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat Rex Israël; hic solus fugiebat consortia omnium, sed pergebat in Ierusalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israël, omnia primitiua & decimas suas fideliter offerens. Omnes enim eius actiones ita erant seriæ, & ab illius ætatis moribus alienæ, vt totus è ratione ac solertiâ factus videretur. A lusu & oblectationibus, quas iuuentus ceu idola adorat, prorsus abhorrebat: societates periculosas instar pestis à se dimouit, eorum amicitiam sectari ac amare solitus, quos agnoscebat virtutis esse studiosos: quâ in re mirâ prudentiâ pollebat, non secus ac aquâ ærariâ, quâ mortalium consuetudinem defæcare, ac citra discrimen & offensam vsurpare nouerat. In delicijs habuit, pietate DEVM colere, parentibus & magistro obsequi, literas & virtutem comparare, & denique animum studio sanctitatis cælo

 ido-

idoneum efficere. Hinc in dies firmior ſeipſo & cultior, eò ſe promouit; vt jam tempus inſtaret, ſtudijs inferioribus tandem dimiſſis, altiora capeſſere. Quam ob rem ad celebrem Vniuerſitatem, ante centum annos à Carolo Magno, literarum non minùs quàm armorum ac Religionis Mecœnate conditam, Pariſios fuit miſſus: vbi tantos fecit progreſſus, vt mox æqualibus cunctis longo poſt ſe interuallo relictis, ſupremam in vtroque jure lauream promereretur. Animum tamen potiùs ad Theologiam quàm quoduis aliud ſtudium applicuit, arcanis à Deo ſtimulis incitatus. Et alias pietatis charitatiſque exercitia tanto ſucceſſu vſurpabat; vt non aliâ re magis quàm oratione piiſue operibus oblectaretur. Hæc eius Academia, hæc palæſtra equeſtris, hæc aula fuit, vbi dextrè ſe ſanctioribus in armis exercebat; dum ad artis eius magiſterium euaderet. Hunc videlicet morem DEVS tenet: qui maturè apud eos

initium facit; quos ad solidam constantémque sanctitatem euehere parat. Difficile dictu est, quàm generosa facinora quatuor aut quinque illis annis, quibus Parisijs commoratus est, designârit; quot gratijs in dies à Deo sit cumulatus; quot eius ope hostium insultus superârit; quot è cælo radijs in animo sit illustratus; in quot periculis DEVS illi adfuerit; à quot peccandi occasionibus eum, vt destinatum obsequio suo seruum, sit tutatus. Id quod magis patebit consideranti inde S. Augustini dictum: a *Adolescentia custos ætatis, periculum mentis*: ex altera parte mutui amoris inter DEVM & Electos initum fœdus. O vt nostri temporis juuentus Bernardi exemplo tantâ vitæ integritate Legibus & Iurisprudentiæ operam daret! At in quæ tempora sumus reseruati? vbi videmus, in Iuris ac rectè viuendi præceptis insolentem ætatem existimari posse, nolle aliter quàm in iniurijs tirocinium

nium

a *Serm. de temp.*

nium artis ponere, aut aliud quàm licentiam & solutos à legibus mores profiteri? Quid de ingenijs huiusmodi polliceri sibi respublica queat, ipsas etiam leges corrupturis? Quam gratiam iuuentus apud DEVM ætatis adultæ fæcibus inibit, quas ei reseruat; quando illius florem vnà cum educationis honestissimæ spolijs DEI hosti dicauit, quæ tanto tempore atque conatu erat procurata. Credas, istos nunquam fuisse doctos, vitia omnem quidem ætatem, sed illam inprimis dedecere, quam plus habere modestię, minus licentiæ oporteret. Eos huc accersamus, vt condemnari se contrarijs exemplis animaduertant, ceu omnis verecundiæ oblitos; qui animas suas voluptati, ingenia stultitiæ, & tempus fœdis actionibus consecrent, alia omnia à Bernardo Iuris verè perito ac tenaci facere docti.

mas fascinârunt quandoque ac emol-
liêrunt. Quibus tamen ipsis credi po-
tuit non aliò quàm ad Mundi contem-
ptum, & calcandam eius vanitatem
vsus: adeò gratia cælestis humana-
rum rerum fastidio Bernardum imple-
uit, cùm primùm cæli delicias cœpit
degustare. Primi namque hi stimuli
fuêre, quos ei Spiritus S. iniecit, nau-
seam videlicet atque contemptum
omnium, quæ in terris essent, & ardens
vitæ cælestis desiderium: salubrem
metum inter prauæ societatis fluctus
pereundi, & eximium Dei ac suæ salu-
tis amorem. Tum demum velut expu-
gnatâ arce, suî & mundi victor, ipse
sibi conditiones posuit, quas illi virtus
& animus dictauit. Postquam igitur
vocanti Deo cum Samuele respondit,
Ecce ego, a initio memorabili conatu
vidisses omnia in melius commutari,
ab ipso Sacramenta, orationem, sancta
opera solito frequentiùs iterari, cum
ab hominum congressu & oblectamen-

a 1. *Reg.* 3.

tis, etsi honestis, se subducere; Deo consilijs piisque animi conatibus, amore suî susceptis, fauente. Postremò magnâ curâ tenebatur, quî propositum exequeretur, piè impatiens, dum ad finem destinata perduceret. Quæ agendi ratio longè à plurium imprudentum consuetudine abhorret; qui mundo nuntium remissuri prius in omnem se vitæ licentiam effundunt; à Bacchanalibus ad jeiunia more delirantis vulgi transituri. Atque hic postremus Dæmonis conatus est. Quis verò vnquam vidit, vitia potuisse viam virtuti sternere? Hinc euenit, vt libertas animi voluptate illecta, frena sibi laxet, & salutis jacturam faciat. Ceterùm Bernardi moderator dudum eodem instinctu permotus, Dei consilia, velut aliud agendo, tum laudatis exemplis, quibus ei præibat, tum quotidianâ cohortatione promouit; solitus ipsum ad constantiam in ciuili ac Christianâ virtute commonefacere: quòd non ignoraret, quale pignus sibi

com-

commiſſum, quámque exacta Deo & Bernardi parenti, qui ſuæ ipſum fidei crediderat, olim ratio reddenda eſſet. Quem in finem ſæpe illum admonebat, probè officij ſui meminiſſet; neque aliquid indignum genere ſuo admitteret; honorem & munera, ad euitandum otium, amaret; ſtuderet prudentes viros imitari; vanitatis aſſeclas fugeret; omnibus amabilem ſe præberet, nemini moleſtum; ab adulatoribus & maximè ſibi à feminis caueret; nobilitatem literis exornaret; libros & arma complecteretur, vt tanto rectiùs Deo ac Principi ſuo vſui eſſe queat; fidem in omnes, præſertim verò erga Numen & Regem coleret. Denique producto ſenſim ſermone, eidem occinebat: nunquam viam vitiorum ineundam; cùm non ſemper conceſſum ſit, inde pedem referre: voluptatem & dolorem, virtutem & gaudium perpetuò nexu mutuò ſe conſequi: Mundum totum faſcino irretitum eſſe: vnam nos duntaxat ani-

mam habere, ſalutis capacem: nos non aliam ob cauſam viuere, niſi vt ſemper viuamus: ab vno momento geminam pendere æternitatem: vitam noſtram à tenui filo ſuſtentari: omnem ſcientiam in eo potiſſimùm verſari, vt ſciamus probè viuere: ſummum omnium arcanorum eſſe, bene mori: numerum damnatorum ingentem, & viam ad ſempiternum exitium latam eſſe: cautiſſimum quemque difficulter elabi. Satiùs eſſe mori, quàm animum occidere: caueret, ne vnquam peccato cõſentiret; ſemper Deum ſibi præſentem meminiſſet: patri matríque obtemperandi ſtudio, jugíque reuerentiâ honorem haberet, maximè ſenio confectis: ſtipem liberaliter ſemper in pauperes erogaret: id propitium generi ſuo Numen conciliare. Superbiam ceu vitæ venenum ac mentis præcipitium, fugeret: Deum in proſperis & aduerſis rebus laudaret, eóque duce perpetuò vteretur. In hunc modum è Tobiâ & ſapientum dictis mores excolendi

lendi præcepta eruebat. Aliàs ad vitam rectè in aulâ traducendam hortatus; laude dignum est, inquiebat, ad Academias proficisci, vt exercitijs Nobilitati congruis excolaris; discere arma tractare; equum à meridie in equestri stadio exercere; jaculari ceruum; leporem insectari; aprum collocare; falconem emittere; ardeis insidiari; scitè inter choreas pedes jactare; eloquentiæ, legationibus, commercijs, negotiisque politicis aptè tractandis studere: modò testudine ludere, modò è disciplinis mathematicis, munitionum faciendarum bellique rationes assequi, quò possis Principi operam tuam probare; copias ad faciendum assultum præire; voluntarium militem ducere, mœnium ruinis aut perrumpendis aut propugnandis famam tibi comparare; aggerem defendere; excubias in castello agere; in primâ acie & ante signa comparere; hostium cuneos perfringere; gloriâ potiri; meritis ad summa honorum fasti-

gia eniti: quemadmodum omnes tui maiores fecêre, Dei ac Regis obsequiũ simul complexi; vt vndequaque inclarescerent. Cui Bernardus, quid demum est, respõdit, quod mundus polliceri mortalibus potest? Inter tot eius sectatores & asseclas numera, quàm pauci sint votis potiti; aut si quid gratiæ humanæ sunt assecuti; quantillo tempore illam tenuerint. In rotâ, quæ identidem summa imis permutat, ruendi causæ sunt ac initia; eadémque tam facilè in altum adhærescens orbitæ lutum, quàm rem aliam euehit. Fortuna vitrea est, non fragilis minùs quàm clara: per quot autem pericula ad maius longè periculum festinamus? adhæc nescimus, num fortunæ successu beandi, maximóque conatu in Principis gratiam penetraturi simus: aut si in eam fuimus admissi, num alius nos eo gradu dimoueat. At si volumus, hoc momento esse Dei amici possumus. Tu, si nolis te mihi socium addere, caue ne consilijs meis obicem ponas.

nas. Ego enim prorſus me alium ſen-
tio; ac Deo ſeruire mihi propoſitum
eſt; poſthac mundum valere jubebo;
vt qui ad magnum animum explen-
dum nimis paruus eſt. O quanta ſola-
tia perſentiſco! vt me totum diuinæ
voluptates rapiunt! felices illos! quos
in aulam ſuam & cæleſte vitæ genus
Deus adſciuit. Quibus auditis mo-
rum eius magiſter facilè annuit; & ad-
debat; ſe quidem, quòd muneris ſui
non fuiſſet, nihil eâ de re fuiſſe vltrò
dicturum: verùm quoniam eo aduer-
ſum ſe candore vteretur, ingenuè ſe
fateri, jam dudum eadem conſilia ſe
agitâſſe; atque idcirco conſultum ſibi
videri, vt ambo ad promouendum, o-
ptatóque exitu finiendum negotium,
S. Nicolao patrono vterentur: mira-
culis enim, quæ SS. eius Reliquijs, in
Lotharingiam non ita pridem ex O-
riente allatis, inibi patrarentur, ma-
gnam ſe fiduciam in ipſius ope collo-
care. Quod conſilium effectu non
caruit, vt paulò pòſt apparebit, fuit-

que perquam opportunum. Quis enim rectiùs posset esse sanctitatis patronus, quàm Sanctus? & quod munus obueniat Sancto gloriosius atq; optatius, quàm sibi similem alium efficere? Credibile omnino est, vtrumque tunc castitatis edito voto se obstrinxisse: in eam sententiam seria miráque constantia nos ducit, quâ oblatas sibi nuptias respuerunt. Atque ex his, quæ hucusque diximus, partim è transactâ Bernardi vitâ, partim è morum coniecturâ & pugnarum illius felici successu desumptâ, facilè patet; quanti in omnem partem intersit, juuentuti probos magistros constituere: cùm per omnem vitam eorum aut virtutes aut vitia & axiomata retineant; quemadmodum corrupto aut salubri lacte nutricum, proles adolescunt. Prudens pædagogus ceu Genius quidam tutelaris est, quouis auro emendus; cùm contrà flagitiosi non satis possint pro delicti magnitudine puniri, vt latrones domestici, aut familiares diaboli;

quan-

quando malis exemplis ac persuasionibus eum perdunt, quem seruare debuerant; animúmque innocentem jugulant, à quo prohibere exitium oportebat. Et quoniam scribentibus quædam libertas concessa est, adiungam, juuentutem suis Magistris idem debere, quod aurum aurifici ad nitorem se excoquenti, aut quod siluestris surculus insititius hortulano debet: huius enim industriâ ex infelicium arborum siluâ exemptus, in frugiferarum censum venit. An non partem suorum fructuum, quos tulit Bernardus, agricolæ tam sedulò excolentis manui adscribat? si cum Salomone diuinam Sapientiam pro Sponsâ delegit: an non illud præclaris moderatoris sui adhortationibus, in eam rem adhibitis, actum est? Si eam ipsam sceptris & coronis antetulit; quòd vidisset, omnia bona pariter sibi cum illâ venire: an non eam bonorum copiam & apparatum, quo fuit instructus, illi ex parte in acceptis referat; qui felicium nu-

ptia-

ptiarum arbiter & paranymphus fuit? Si hæc omnia beneficio S. Nicolai effecit; quantopere pijs illius consilijs erit obstrictus, qui auctor ei fuit, vt Diui præsidio se committeret? Quis autem possit explicare, quot suis exemplis piisque congressibus ad Christi imitationem induxerint? Dum Lector hæc secum expendit; aliò me conuerto, vt Bernardi prælijs ac victorijs intersim; neque tam insignem occasionem elabi mihi patiar.

CAPVT IV.

De tentationibus ab eo superatis.

QVEMADMODVM callidè Dæmon agit, vt lætam virtutũ sementem in herbâ enecet, illámque, si queat, in exortu suffocet, veritus, ne dominatu excidat, nihilque in eam juris ampliùs habeat, si semel temporis & vsûs diuturnitate roboretur. Ita non

non omisit omnem lapidem mouere, vt Bernardum à pietate auocaret; quæ eius factioni maxima damna in ipsis initijs comminabatur, miras ab hoste victorias prædásque pollicentibus, quas olim firmior ac maturior esset reportaturus. Igitur cùm intelligeret, voluptate juuentutem duci; quæ ludicris oblectatur, & experientiæ defectu melli inhiat, aculei secura: juuenem sanctum omnis generis delicijs, & opibus, & mundi fastu inescare aggressus est, cunctis hisce ipsi obtrusis, si suis obsequi jussis vellet. Hinc illustris familiæ splendorem; inde triginta nobiles eius toparchias, arces, dominia, terras ac dynastias; rursus titulos, Iurisdictiones, clientelarum jura, jus vitæ ac necis, subditos vectigales, seruitutes, illi obijciebat. Deinde dominandi dulcedinem, seruorum comitatum, famulos ab eius ore pendentes, ob oculos ei ponebat. Dein multa de honestis voluptatibus, quas ca-

pere, de oblectamentis, quibus innoxijs absque vllo conscientiæ animique damno frui posset, inculcabat. Modò opulenta, quæ se offerebant, coniugia, nobiles puellas, quæ certatim eius matrimonium expetebant, fausti connubij felicitatem, tam amplæ hæreditatis jus, facultatem ad honorata munia & dignitates aspirandi, oggerebat; atque hæc in eum finem; vt eius mentem infringeret, ac voluntatis alacritatem, operosam religiosæ vitæ seriem molientis, emolliret: cuius, vt inaccessæ præruptæque rupis prorsus inuiæ, difficultate obiectâ, absterrere juuenem nitebatur. Posthæc parentum recordatione illum oppugnauit; quorum reuerentia videbatur omnia eius consilia, justis ipsorum votis contraria, pessumdatura. Deniq; cum omni eo conatu nihil Dæmon efficeret; machinas in Bernardum mouit, statuitque munitionem, quâ parte debilior minúsque firma visa est, tormentis fortiùs verberare. dum annisus est, lasci-

nis amoribus eum irretire; fœdis imaginibus animo repræsentatis, sensuúmque blandimento in speciem dulci, sed periculi pleno carnem titillare; obscœnis adeò simulacris oculis importunè ingestis, sensim sine sensu de gradu dimouere, ac tandem totis viribus simul ac semel expugnare. Et profectò nullus est perniciosior quàm carnis insultus, nisi pro vallo se cælum opponat; magnámque vocationis partem demolitur, ingenti eorum probro, qui tam vili jugo premi se patiuntur. Ceterùm tiro Christi, ac suæ arcis defensor, nondum eiusmodi assultibus assuetus, magnopere sudauit, vt hostem tam sibi vicinum à munitione deturbaret. Voluptatis enim illecebræ propè fastidio illum enecârunt; satísque vsu didicit, id, quod nomine amoris tegeretur, infernum esse, crudelibus gaudijs, blanditijs mortalibus, probrosis honoribus, & viuà morte plenum: eas autem, quæ Nympharum specie honestarentur, imma-

nes furias, & anthropophagas Empusas esse: earundem fictas delicias esse malum caducum, esse apoplexiam, & febris pestilentis lethalem paroxysmum, magnis malis comitatum; quorum causâ vita, gratia, & salus non rarò æterna periclitatur. Cùm itaque toties reiectus hostis bellum continuaret; in mentem Bernardo venit victoriæ à Iosaphato fortissimo Christi athletâ obtentæ: qui ijsdem armis petitus, æternorum cruciatuum ac deliciarum aspectu vires recepit, & mentis arcem tutatus est. Et erat omnino aptissima ratio, Infernum per Infernum vincere; & cælum cæli ipsius ope consequi. Ergo cùm ad Iosaphati exemplum seriò secum esset meditatus, è carne nasci vermes; momentaneum esse, quod delectat, æternum, quod cruciat; animos orci sulphure tinctos ignis sempiterni fomites esse; in vitâ piè institutâ bis nos beatos esse; spineâ sepe fructus defendi; in pietatis cultu rosas, vt olim in Paradiso, innoxias

xias nulli aculeum infigere: quibus commentationibus robur orationis, arma Crucis, pœnitentiæ scutum coniungens, victoriam retulit, fortibus ausis parem: quando & stationem retinuit, & primis propositis non excidit. Ad hoc autem negotium permultùm ei Magistri sui consilium profuit, cui se totum credebat. Nihil enim tantopere salutis nostræ inimicus, quàm se explicantis candorem formidat, probè gnarus, eâ ratione fraudes detectas nihil nocere: quin potiùs in se collapsas, auctorem opprimere. *Serpens*, vt Ecclesiastes a ait, *mordet in silentio*: neque grauiùs quidquam odit, quàm vocem, ac solertes excubias. Hinc vsitatum priscis Religiosis fuit, cogitationum suarum rationem suis moderatoribus reddere, vt notat Cassianus; & etiamnum apud ordines ac Religiones Instituti tenaciores in vsu est. Ratio quippe conscientiæ magnum compendium est, ad Religio-

a Cap. 10.

ſam familiam in flore conſeruandam; ad procùl arcendum hoſtem; ad detegendos exploratores, qui animi caſtra produnt; ad pacem intus & foris conſeruandam. Si quidem verum eſt, quod vulgò dicitur, militem de hoſtis conſilijs edoctum duorum inſtar, hoſtem verò proditum ex dimidio victum eſſe. Dæmon igitur illâ vice ſuperatus, aſtu eſt vſus, ac ſub ſpecie fugæ, difficilius in Bernardum bellum inſtaurauit: vti deinceps videbimus.

CAPVT V.

De Bernardi in patriam reditu, & ſpreto connubio.

RECTE Boëtius in *Conſolatione Philoſophia* dixit: putatitium neceſſariorum amorem ſæpe verum odium eſſe; eaſdémque moleſtias ac mala nobis creare, quæ jurati hoſtes inferrent. O! vt parentes non niſi cæli ac ſalutis causâ ſuos liberos amarent!

quem-

quemadmodum S. Augustinus *a* vult nostras affectiones esse rationi confor-mes. Sed, prô dolor! sua tantùm commoda & emolumenta in filijs a-mant, ac sæpe malorum, quæ hostis in ipsos cudit, instrumenta facti, eos ad ruinam impellunt, & in perniciem cō-iurant. At noster athleta, hostis huc-usque victor, aliud pereundi discri-men subit, pernicioso paterni amoris artificio. Parentes enim vafrè à Dæmo-ne subornati, natum Parisijs auoca-tum, medium jubent studiorum cur-sum abrumpere; neque aduertunt, sub specie matrimonij latere insidias. Postquam igitur Bernardus de paren-tum voluntate per nuntium fuit cer-tior factus, redeundum sibi videlicet esse, ad iter se cum comitatu accinxit, nihil hostilium machinarum tunc sub-odoratus. Inde paucos intra dies Montonium, ad paternum domicilium statámque gentis suæ sedem peruenit. Porrò arx erat amœno loco sita, ferti-lique

a *Hom.* 38. *ex* 50.

lique jugo impoſita ; vnde in ſubie-ctum Nicenſem lacum, Geneuenſis di-tionis pręcipuum, latus proſpectus eſt; gratis terrarum tractibus circùm ſe offerentibus, præter ingentem oppi-dorum, vrbium, pagorum, arcium, ac monaſteriorum numerum paſſim cir-cumiacentium. Vt ergo paulatim in paterno ſolo progreſſi, ad collem per-uenerunt; parens vterque ad eos pro-cùl agnitos accurrerunt, præ gaudio obſtupefacti; ínque filij collum ruen-tes tenerè ſunt eum amplexati, lacrimis interim præ lætitiâ manantibus: feli-cémque illi reditum gratulati, ad ar-cem deduxerunt. Tunc vt hilaritas eſ-ſet magis publica, vicinam Nobilita-tem & inprimis Douinios ac Beaufor-tenſes dynaſtas, vt neceſſarios ſuos, in-uitârunt, amicorum periucundum conciliabulum. Ita aliquot dies inter conuiuia, choreas, luſus, & varias ob-lectationes abſumpti, quibus Bernardi reditus celebrabatur. Sed hi ipſi luſus totidem ei pugnę ac ſupplicia fuerunt,

pieta-

pietatem ſectanti : vt qui jam omnibus mundi voluptatibus contemptis, eius quoque ſtipendia & monetam adulterinam reiecit. Et quantò lautiùs humaniúſque ab alijs fuit habitus, tantò triſtior erat. Eâ occaſione nihilominus ex illo ipſo fonte, vnde alij cupiditatum flammas accendunt, diuinúmque ignem extinguunt, artificio prorſus contrario, ſenſuum ſuffocatâ face, accendere cæleſtem nitebatur; quam ceu Pharum, ſuæ charitatis indicem, in ſublime extulit. Ipſe vt judex in ſapientiæ tribunali collocatus, judicia & ſententias vanitatis corrigebat: ac in ſuâ ditione hoſtem ſternebat, nō aliâ de causâ illi præſens, niſi vt eius conſilia exploraret: hinc omne tempus ludicris impenſum pro perdito habuit, eiúſque jacturam deplorans, ô tempus, exclamabat, malè collocatum! ô horas pretioſas cælo comparando conceſſas, vt malè tranſigimus! Sunt quædam gemmæ, quæ in aquam demerſæ incenduntur: ſic & animæ for-

tes magis ad pietatem incitantur, cùm inter homines pietatis negligentes versantur, cõtrarijs exemplis ad ipsam acriùs prouocati. Atque hæc ludicra duntaxat certamina fuêre: at paulò pòst armis ad justum bellum acutis in arenam descendendum erit. Ergo præsentes amici ipsâ otij diuturnitate fatigati, finem imponere hilaritati ac valedicere parabant. Tum verò pater, ratus opportunum se tempus esse nactum, in amicorum coronam Bernardum adducit, hortatúrque, tempus nunc esse, quo totius familiæ ac ditionis gubernationem in eius manus consignet, ac fortunato matrimonio de generis successione ac posteritate prospiciat: in eum finem se præsentium amicorum suasu statuisse, sponsam suâ conditione dignam in matrimonium ei dare: proinde omnium nomine ipsum se obtestari, velit mentem suam aperire; è quâ familiâ præcipuè vellet sibi coniugem asciscere. Bernardus, qui jam abunde obstrictus, ani-

mum aliò applicuerat, vehementer fuit eâ oratione consternatus, facilèque coniecit, hanc in se fabam non ab alio quàm salutis hoste cusam esse. Quare vt eius artes eluderet, alio astu in hostem vsus est; dum in genua abiectus tantisper moram petijt, donec studijs finem imposuisset: vt ad Dei obsequium, cui se pridem deuouerat, habilior esset. Quo responso ceu fulmine & Dæmon & parens prostratus est; ac pater quidem retro collapsus, & sui impos exclamauerat: ô miseros patres! ita nimirum à suis liberis in senio habentur: indéque insanientis in morem: O ingratum & degenerem te filium! vociferabatur: méne loco parentis habes? Certè sufficientem mihi caussam præbuisti, cur hæreditate te multem: hoc scilicet in scholis didicisti, vt ei, qui in terris DEI loco tuâ causâ tibi præfectus est, gerere morem recuses. Præclarum sane documentum tuæ aduersùs DEVM obedientiæ præbes, quando imperij contemptum

 à pa-

à parente auſpicaris. Quid multis? in hac pugnâ pater vincet. Quapropter niſi parentem velis tibi infenſum, juſſis obtempera. Mater quoque inſtabat; quæ patris abſynthium melle blanditiarum temperans, eum obteſtabatur, vellet parentum miſereri: ne pateretur vitæ ſuæ auctores præ dolore emori, ac viuendi terminos eis præcidi: adhæc hortabatur, hæreditatem alienandam non eſſe: etiam foris ipſum poſſe pietati & ſtudio ſalutis vacare: temerarium eſſe, ædificium moliri; cui imponere finem & tectum nequiret. Tandem omnes eum adorti vrgebant, vt in patris poteſtate vellet eſſe. At his cunctis amor diuinus ſuperior, humanum triumphauit: qui ſolet ipſam mortem ſuperare; totáque flumina, ſi viam ſibi conentur præcludere, ſuis ignibus exurit. Bernardus igitur, vt feliciùs id negotij conficeret, ac prudentiam fortitudini coniungeret, ſapiens conſilium inijt; ac tempori aliquid permittens, dum fortiùs

tiùs destinata exequeretur, visus est in speciem in parentum voluntatem concessisse, oratione tam dexterâ vsus; vt parentes contenti, illi desinerent esse importuni. Nimirum lentè festinando, quod in votis est nobis, assequimur.

CAPVT VI.

Quâ ratione Bernardi famuli missione donati, in Taloirensi Monasterio Religiosam vitam sint auspicati.

BERNARDI parens, vt victoriam, quam credebat se à filio reportâsse, prosequeretur, nuperóque congressu parta tueretur; veritus, ne Moderator filio suo auctor pietatis fuisset, aut eam certè in ipso tolerâsset: statuit hominem ab illo dimouere; vt solum se sine auxilio conspicatus, animo caderet, pugnam instaurandi. Igitur in magistrum virtute ac prudentiâ insignem conceptâ irâ, magnis eum

conuitijs onerat, acerbiúsque increpitans; Næ tu homo iners, inquit, & seductor es; itáne decuit te nobis imponere, ac filium peruertere? hic scilicet stipendij tui ac nostrorũ promissorum fructus est? num idcirco tibi, fidem tuam obliganti, natum credidimus, vt à nobis alienatum anili superstitione imbueres? tam pręclarè nimirũ doctus es, nobilem juuentutem ineptijs tuis informare? Confestim hinc te aufer, nunquam posthac rediturus. Eadem probra mater ingessit, ac vterque parens insontem exagitauit, ne respondendi quidem spatio aut facultate permissâ. Inde mercede persolutâ illico magistrum dimiserunt, beneficiorum, quibus ob eius fidem fuerant ipsi æternùm cum filio parentes obstricti, prorsus tunc immemores; etsi postmodum grati agnoscerent. Idem ephebo, cubiculi ministro, & pedissequo factum, qui filio eousque inseruiebant. Hi enim suâ modestiâ & taciturnitate satis prodebant, se eiusdem cum hero suo factionis, ac para-

to esse, ei, mundo nuntium remissuro, comites adhærere: id quod manu missi statim re ipsâ præstiterunt. Quippe nihil conati, idoneam facti sui rationem reddere, missionémque illam rati aditum sibi ad religiosam, quam meditabantur, viam struere, magnam ei gratiam debere se, judicârunt, qui licèt ignarus januam sibi ad meliorem fortunam aperuisset, tam aptè votis suis velificatus. Id vnum discedentibus dolebat, quòd essent à mundo præuenti, qui citiùs ipsos deseruisset, quàm fuisset desertus; quod tamen mox post suum ex vrbe Parisinâ reditum agere cogitabant; nunc autem aliquam necessitatis speciem consilio suo mundus affingeret, quod prorsus erat sponte susceptum. Hoc saltem inde compendij retulerunt, vt citiùs, quàm aliàs fecissent, mundo excesserint. Ita eiectione illâ non secus atque concessione vsi, rectâ Taloirium, quod elegans oppidum est non procul Mentonio dissitum, concessêre: vbi per-

quam Religiosum S. Benedicti Asceterium erat, quod etiamnum in flore est. In eo loco ac solitudine, ad quam conuenturos se antè condixerant, itineris feliciter peracti terminum sibi sunt gratulati. Porrò tum diuinis alloquijs, tum vitæ sanctitate, quæ in Monasterij Antistite ac Religiosis vniuersis elucebat, ita fuerunt permoti; vt decreuerint, omnem illic reliquam vitam exigere; tantúmque precibus effecêre, vt in eam domum reciperentur. Vbi quidem facilè ceteris aditus patuit, non item pedissequo; à quo religiosi ob hominis conditionem, corruptelis magis obnoxiam, parùm sibi frugis pollicebantur; quidquid reliqui tres eius competitores de ipsius virtute ac moribus testarentur. Nihilominus loci Præses animaduersâ illius æquanimitate ac modestiâ singulari, quam in eâ repulsâ præferebat, vinci se passus, cum ceteris tribus eum religiosâ veste induit. In hunc modum quaterni supremo Domino seruire au-

ſpicati, poſt ætatem in arctâ religioſæ diſciplinæ obſeruantiâ exactam, vitam ſanctè clauſerunt. Nimirum ita Deus acceptat, quos mundus repudiat: ita ſtipendium auget, qui herum mutat. Hinc mirandum eſt, ſpreto DEI ſeruitio, tot mundi eſſe mancipia.

CAPVT VII.

Diuinitus è paternâ domo Auguſtam Salaſſorum in Inſubriâ ſitam abducitur, vt coniugium euitet.

POSTQVAM ab irato patre prior Bernardi comitatus fuit dimiſſus, nouum ei famulitium, ad mundi leges factum, conſtituebatur: nam Gubernator, ephebus, ſeruus vterque & à cubiculis & à pedibus, in heri probitatem coniurati, juſſi ſunt, vt olim Ioſaphati famuli, non niſi de voluptate, ac delicijs Bernardo loqui; pietatem conuitio traducere; eúmque ſociorum turbæ immixtum rerum

fluxarum illecebrâ inescare. At nullum aduersùs DEVM consilium aut coniuratio valuit, nulla vis eius vim eludere. Hi ipsi venti sancti juuenis desideria incenderunt potiùs, quàm extinxerunt: in his ipsis aquis probiùs tinctus, colorem & animum retinuit; quantumuis eius hostes in omnem occasionem & latus intenti, vires identidem ad pugnam instaurarent. Verùm quàm misera est seruorum conditio, magnatum obsequijs mercede se deuouentium! vt se ac libertatem heris vendunt, peccati instrumenta, & ignis æterni pabulum futuri! Illi verò forti animo sunt præditi, qui nunquam elocatâ libertate, semper audent iniqua, & fæda Dominorum imperia detrectare. Næ ille planè rudis est, qui nondum didicit malis non assentire! Illi verò sunt omnium maximè liberi ac felices, qui vnius Numinis seruitio addicti, non in alterius verba, quàm ipsius aut pro ipso jurant, ita enim à periculo sunt immunes, ne noxiam

con-

coniurationem aut probent aut juuent. Nouo igitur comitatu in Bernardi caput conſpirante, nihil ex eâ parte periculi pater formidauit. Sed quòd vereretur, ne filij aſſenſus tantùm fucatus eſſet, vt interea rectiùs meditari ac exequi cœpta poſſet: ſubitò illi vincula & permanendi neceſſitatem inijcere conſtituit; vt jactâ ſemel aleâ reſilire, dictáque retractare nequiret. Quapropter diligenter habito delectu, quam coniugem è quâ familiâ nato daret, ex omnibus Margaritam Miolaniam delegit, vtpote puellam & genere & maximis animi corporiſque dotibus præ quibuſuis alijs illuſtrem. Tum è viris nobilibus, quos ad vlteriorem hilaritatem ſecum retinuerat, vnum rogat, ne grauetur, formulâ inter magnates vſitatâ filiam pro nato coniugem poſtulare. Cuius precibus primo ſtatim congreſſu Miolanenſis Dynaſta locum & natam in matrimonium dedit, tum quòd peruetuſta inter vtrumque genus amicitia in-

tercederet; tum quòd vtrinque sponsi magnâ nobilitatis, ætatis, morum, ac ingenij similitudine ita conuenirent; vt pars neutra posset sibi magis æqualem nancisci. Igitur inter Mentonium ac Miolanensem datâ mutuò fide, tabulæ matrimonij sunt consignatæ; dictúsque connubij dies, ac Paranymphi constituti, qui festiuo more sponsam adductum irent. Sic demum visus est Bernardus reti circumuentus, elabi nõ posse. Qui tamen idcirco animis nihilo fractior, spem suam in DEO collocare non dubitauit, probè gnarus, eum desperatis rebus in se confidenti opem ferre. Iam nuptiarum dies imminebat; auidéque alterum manè exspectabatur: cùm sponsus tantisper in virorum nobilium coronâ versatus, simulánsque, nihil in eo negotio sibi displicere, sub vesperum in conclaue suum se recipit; famulísque dextrè amandatis, qui eius mores & actiones arbitrari iubebantur; vbi se solum sine teste in eius tantùm oculis positum

vidit, quem nihil poteſt latere: eius prouidentiæ ſe totum, vitámque & vocationem ſuam committit; lacrimíſque aſperſus precatur, velit ſe ex illo diſcrimine eripere, è naufragio liberare, ac facultatem præbere, vt deſertâ Ægypto, ei poſſit in deſerto immolare. Educ me de hoc incendio, exclamabat, quemadmodum Abrahamum exemiſti; cum eodem deſertâ domo paternâ, cognatis, ac patriâ, id vitæ genus ſequar, quod mihi commonſtraris; tuámque mihi ſapientiam deſponſabo. Deinde ad Dei Matrem conuerſus, eiuſdem vt propitiæ matris ac patronæ opem inuocabat, quâ ſui voti compos fieret. Idem S. Nicolaum Patronum ſuum precatus eſt, vt apud SS. Virginem precum ſuarum ſucceſſum impetraret. Omnes quoque Cælites aggreſſus, cælum vniuerſum in vota vocabat; tantopere agnoſcebat, quanto in diſcrimine æterna ſalus verſaretur, ſi aliò curſum non intenderet, eúmque tramitem ſequeretur.

tur, quem DEVS illi designâsset: ex alterâ verò parte certus de bonis ac promissis fuit, illorum gratiâ factis, qui suo muneri non defuissent, datæ semel fidei tenaces. Geminas orationes ex eius officio & Breuiario Augustano apponam: *IESV Redemptor hominum, & Conditor cæli, exaudi seruum tuum, & inclina aurem tuam mihi: fac mecum secundùm multitudinem miserationum tuarum. Et quoniam non derelinquis clamantes & conuersos ad te: libera me de laqueis & pedicis mihi præparatis, & effice, vt adulatorum blanditiæ me non euertant. In te speraui, non confundar: neque precum mearum repulsam verebor.* Alia fuit huiusmodi verbis concepta: *O S. Nicolae dulcis Pastor & Sancte Præsul, indubitatum meum refugium, per quem accessus ad Deum eiúsque SS. Matrem semper Virginem mihi patet. Obtestor te per merita tua, impetra, vt hic mundi strepitus procul sit à me, & pro his vanitatibus æterna in cælo bona recipiam.* Ita secum acriùs colluctantem somnus, aut potiùs

tiùs vis diuinior opprimit, tam ſerijs eius precibus accerſita: illic S. Nicolaum peregrini habitu indutum vidit; à quo in hunc modum, vt Breuiarium vetus Auguſtanum refert, fuit animatus: *O Bernarde, ſerue Dei! Deus, qui in ſe ſperantium non ſolet obliuiſci, ad æternam ſalutem te vocat. Promptè igitur ſurge, & Auguſtam Salaſſorum fuge: vbi Venerabilem virum, Petrum Archidiaconum, Dei timore & ſanctitate plenum reperies: is pro duce tibi erit, téque ad optatum terminum deducet. Me quoque in omnibus auxiliatorem habebis, neque vnquam deſinam te juuare.* Poſthæc repentè euigilat, neminéque viſo exclamat: *O Deus, quàm admirabilia ſunt opera tua! conſuetâ bonitate in ſeruum tuum vſus es: & quoniam vehementer cupis, tuis mandatis religiosè obediri; celeriter & accuratè tibi obtemperabo: quandoquidem conſolari me dignatus es.* His dictis, gratiiſque de genu Deo actis, quòd operâ ſerui ſui S. Nicolai inuiſere ſe voluerit, ſuámque ſibi voluntatem ſigniſi-

gnificare, manum calamo applicat, literas exaraturus sensu pietatis plenas, ac vale parentibus æternùm dicturus. Illos, post gratias liberaliter pro beneficijs in se collatis actas, supplex rogat, ne velint animæ suæ salutem impedire, ac in discrimen vocare; neque diuinæ voluntati obsistere, de quâ indubiè certus esset: cui proinde ne obniterentur, admonuit; cùm ad suum obsequium à DEO vocaretur: qui vtiq; pluris apud nos sit, quàm omnes Principes; in quorum aulis viri nobiles patiuntur vnicos etiam filios educari, séque ob Principum reuerentiam eo solatio priuant. Addebat, parentes, quòd in DEVM tam agrestes ac inciuiles fuissent, sæpe filios amisisse: cùm contrà alij, qui alacriter suos obtulerunt, vt Abraham, aut diuino obsequio commodârunt, vt Anna, pari cum illis felicitate sint cumulati. Affirmabat, terram nimis paruam esse cælum affectanti: omnes amores suos in IESV Crucifixo sitas; quem suo loco ipsis

vt filium & ſolatium relinqueret; neque dubitare ſe, quin eos tueretur; quando vt iſtum tantò meliùs ſequeretur, hos deſeruiſſet. Porrò ſanctam parentibus hanc permutationem eſſe; quòd IESVM pro liberorum ſuorum fideiuſſore habeant. Poſtquam literas extremo vale concluſit, pollicitus, memorem ſe illorum in precibus fore, poſtulatáque veniâ & benedictione parentum; obſignatas, cubiculi ſui, quod etiamnum ab ipſo nomen habet, arulæ imponit. Inde jam ſecundùm à S. Nicolao & S. Angelo ſuo Cuſtode viſitatus, qui vt liberatores ac vehiculi jumentorúmque loco ei futuri aduenerant, manum feneſtræ admouet, quâ apertâ, nullo alio auri argentíq; cenſu, quàm S. Crucis ſigno, quod fronti impreſſerat, ad viaticum inſtructus, concubiâ nocte inter geminos Diuos magno prodigio ſe per eandem feneſtram demittit, quæ hodiéque, famâ ad poſteros manante, oſtenditur; factóq; in ſubiectam rupem ſaltu, eoſdem cæ-

leſtes

leſtes comites ac præſidiarios ſuperatò colle reperit, à quibus per ignotos calles ad Auguſtæ vrbis portas fuit eo comitatu delatus, raro ſanè & inaudito miraculo, quod in ſimili cauſâ nulli Diuorum ante hunc legitur accidiſſe. S. Macarius Romanus quidem in ſolitudinem fuit à S. Raphaele Archangelo ductus; Baqueuillius à Turciâ in Galliam S. Iuliani ope redijt; plures alij diuinitus translati ſunt: ſed nulla occaſio emigrationum huic par fuit. S. Alexius nuptiarum nocte à ſponſâ profugit: S. Ioſaphat regnum deſeruit: ſed horum nemo tam prodigioſè fuit aliò translatus. Soli Bernardo hæc gratia, eius Virginitati conceſſa, obtigit, quæ recoli ſine tenero animi ſenſu lætiſque lacrimis non poteſt. Quàm cordatum vale mundo tunc dixit, cùm vidit, ſe in eo aſylo poſitum? quantis laudibus diuinam bonitatem celebrauit, cùm ſe ſaluum ſuperato mari, merſos verò Ægyptios conſpicatus eſt? Quàm dulce ac amabile oſculum ter-

ræ infixit, in quam erat à DEO deportatus? quoties ei se in holocaustum obtulit? quanto gaudio oculísque præ solatio madentibus ad B. Virginis templum se contulit; vbi fuit à suis ducibus desertus, cùm primum in Petrum Archidiaconum incidit; qui præcedenti nocte à S. Nicolao commonitus eodem tempore illum opperiebatur? Ab eo igitur humaniter exceptus est, qui in eius collum ruens, osculum illi ac salutem impertijt: inde peractis inibi precibus, manu prehensum, in domum suam perduxit, eum Discipuli & successoris loco habiturus, qui & virtutem eius & munus olim capesseret: ac pro Ananiâ illi futurus, arctum cum illo fœdus inijt. Hîc me non contineo, quin tam felicem negotij decursum demiratus, exclamem: O quam facilem promptámque opem amicis suis fert DEVS, ad omnia pericula succurrere paratus! quare, ô animæ sanctæ! DEVM amate, & ad votum illius dulcissimâ consolatione vtimini. Et

vos

vos parentes, DEVM pro primo parente agnoſcite, neque vnquam in liberos veſtros eſte tam barbari, vt eos communis omnium patris gratiâ ſpoliare velitis. At vos, qui in partem tantæ felicitatis vocati, mundi naufragium euaſiſtis, in terrâ promiſſionis libertati veſtræ vetus carmen accinite: *Cantemus Domino.*

Nunc iterum profugæ redeunt miracula Gentis:
Cùm dociles diſcunt fugere, à fugientibus vndæ,
Et mox attonitæ curſum, ceu marmora, ſiſtunt.
Obſtupuiſtis aquæ, ſiccos per flumen Hebræos
Non mergi fundo, nec aquoſos currere montes;
Nec rubrum erubuit mare, totam in viſcera gentem,
Neptuno ſeruante fidem, deſcendere. nullam
Quamuis à liquidâ metuentem mole ruinam.
Nempe fugam ſanctam reuerentia tanta decebat,
Cedat vt vnda locum populóque aſſurgat eunti.

In gratiam lectoris, literarum, quas Bernardus reliquit, fragmentum, velut ſanctæ mentis reliquias, è Breuiario Auguſtano apponam. *O dulciſſimi parentes! gaudete: Rex ſaluator me conducit; vado ſecum ſaluari, nolite ampliùs me quærere, nolite meâ causâ eſſe ſoliciti. Neque ſponſam, neque dynaſtiam, quam*

mihi

mihi quilris relinquere, neque vllam in terris ditionem volo: tota mea ambitio cælum petit.

CAPVT VIII.

Margarita Miolania diuino instinctu Religioni se mancipat.

TAM gloriosa fuga familiam vniuersam ad insequendum inquirendúmque Bernardum exciuit: eius verò sancta quies ijs, qui paulatim ipsi permittere se parabant, stimulos multò maiores addebat. Qualis tunc in domo catastrophe? quanta lætitiæ perturbatio, cùm de illius discessu cõstabat? nemo quippe de inexspectato euentu quidquam antè præsciuerat, quolibet arbitrante, hesternæ hilaritatis initia se manè prosecuturum. Ergo celebris fit apparatus; educuntur scutariorum equi: tubâ læti itineris comites citantur; Nobilitas ante arcem insigni instructu splendidóque

amictu

amictu compareret, ſponſam aliquot leucis adductura: ſolus ille deſiderabatur, quem jam nemo debebat exſpectare, Bernardus inquam; qui nuſpiam apparebat. Sed is nempe euanuit, à DEO velut alter Enoch translatus; ne poſthac malitiâ contaminatum videret. Subinde dies increbreſcebat, hoſpitibus Bernardi moram ægrè ferentibus. Tum pater eum acciri jubet, nullo equidem fructu; cùm citanti nemo daret reſponſum. Demum effractâ portâ compertum eſt, generoſam hanc aquilam deſerto nido, liberam auolâſſe. Præter feneſtram, quæ rupi imminebat, apertam, & literas clauſas conclauis oratorio impoſitas, vnde millies in die ſolitus eſt ad DEVM preces & ſuſpiria mittere, nihil indicij fuit repertum. Hæ ad patrem perferuntur, omnibus ad eam rem attonitis, qui mox apertas vbi legit, penitùs conſternatus deliquio corripitur: mater eodem nuntio perculſa itidem animo linquitur; hilaritate in fletum, & nu-
ptijs

ptijs in mœrorem conuersis. Inde varia circumcursatio: dum alij ad herum, alij ad coniugem accurrunt, eos à terrore & morbo reuocaturi. Sed jactura irreparabilis omnem illorum animis consolationem ademit, asserentium, æternùm se miseros & in omnem deinceps vitam ad lacrimas condemnatos esse. O crudelem natum! exclamabant ad se paulatim reuersi, tantúmne animi tibi fuit, vt nos in senectute nostrâ desereres, neque curæ tibi esset morientibus oculos claudere? Verùm longè acerbiùs tulêre dedecus, vt putabant, illustri Miolaniorum genti illatum: quæ vtique grauiter offensa, iniuriam vindicatura erat. Ita majori malo minoris sensum mitigârunt. Vt igitur ei incendio maturè afferrent remedium, casuíque tam graui mederentur: præcipui è Nobilitate ad Miolanensem dynastam ablegantur, qui cum parente sponsam de inopinato infortunio edocerent, rogaréntque, vt acceptâ excusatione placati,

ti, euentum communibus votis aduersum ne malè seruatæ à se fidei imputaret; quin potiùs ipsorum commiseratione tangeretur; vt qui eodem tempore duobus maximis bonis essent orbati, vnico videlicet filio, & necessitudine tam exoptatâ. Tristis legatorum vultus ac dolentis animi sensus, quo suam querimoniam imbuebant, facilè Miolanio persuadere potuit, nihil ab ipsis fingi. At ille rem tam ignominiosam & tãto genere indignam iniquiori animo ferens, illatum familiæ suæ dedecus querebatur, jurabátque, illius vltorem se fore; etsi fortunarum omnium & vitæ ipsius impendio sit futurum. In eo calore Mentonio Dynastæ ac eius ditioni vniuersæ bellum indicit. Quod inter binas ac potentes factiones denuntiatum, multo sanguine, ac nobilitatis præcipuæ jacturâ stetisset: nisi DEVS per vtriusque partis necessarios tumultum composuisset. Hi enim Miolanio testati sunt, verissimum esse, Bernardum spõsum

ſum noctu elapſum, nemine prorſus conſcio: parentes eâ de causâ oppreſſos deliquio, ſuî impotes jacuiſſe. Quæ rationes ſi ad animum eius leniendum nondum ſufficerent; inexpiabilem ipſius rigorem fore; ſi illos vellet reos peragere, qui poſt adhibitam omnem operam, & nuntios quaquauerſum dimiſſos, nihil poterant de illo inaudire: proinde obtemperandum neceſſitati, neque deſperatione vtendum pro remedio eſſe. Eam orationem non minor animorum commotio inſecuta eſt, quàm prior fuit. Quippe Margarita Miolania, S. Bernardo deſponſa, eo caſu grauiter icta, & è cælo fortiùs impulſa, illico mentem & nubendi conſilium mutauit; & jam tum exorſa mundum eiurare, ſuſpiriiſque cælum pulſare, apud parentem inſtitit, vt placari ſe ſineret: ſi enim, inquiebat, meâ cauſâ hæc tempeſtas eſt excitata, per me victimam denuo ſopietur. Atque hoc ipſum conditionem & connubium efficiat longè felicius: quando

do Mentonij ſponſi loco, IESV Chriſto me deſponſabo; cui jam nunc me totum deuoueo, conſecróque, vobis vt ſpero, nil renuentibus benéque precantibus. Neque enim volo animis eſſe juuene illo inferior: qui dubio procul mundum & coniugem repudiauit; vt cælum obtineret, ac ſapientiam ſibi deſponſaret, cui amorem affectúmque omnem addixit. Eius nunc veſtigijs inſiſtam, vt vnà in IESVM communem vtriuſq; amorem incidamus. Ergo valete nuptię, amores & ſerui valete: IESV dilecto meo æternùm cupio eſſe deuota: ille me ſibi vitæ ſempiternæ promiſſis deſpondit; ille mihi gemmas & ornamenta gratiarum contulit; ille me deuinxit, ne alium præter ipſum amarem; fidiſſimo eximióque amore ita mihi addictus, vt videatur neminem alium præter me amare. Quapropter, parens dilectiſſime, pacem redintegremus, quam & DEVS nobiſcum inijt. Hæc ſubita illuſtris Virginis mutatio, tam diuinâ oratione
ani-

animata, præ gaudio ex vtriusque parentis oculis lacrimas exciuit, quæ ceu mitis pluuia ventos sedauit, ignémque binis familijs imminentem extinxit. Pace igitur factâ conditiones in tabulas relatæ, in gratiam Margaritæ Bernardo quondam desponsæ; vt posset sponsi sui exemplum sectari. Quæ incredibili constantiâ mundi vanitatem aspernata, relicto insigni omnibus puellis generosæ pietatis documento, post parentum nihil obsistentium, quos mira animi mutatio in filiâ permouebat, benedictionem, cuiusdam Monasterij prope Gratianopolim, Monialibus se adiunxit, voto suo se exolutura. Vbi flammeo ab Antistite accepto, vitam sanctitate & optimis exemplis illustrem egit, ex illustris prosapiæ puellâ, facta in IESVM sponsi ac Regis sui Imperio Regina & Imperatrix, cum quo modò viuit, ac feliciter æternùm regnat. O quàm gratiosi sunt vocationis religiosæ euentus! quàm miræ rerum conuersiones! quàm

ſuauis diuinæ prouidentiæ, pro ſeruis & ancillis ſuis excubantis, œconomia! Ite modò animæ cæleſti inſtinctu admonitæ: hoc par amantium ſequimini, in ſimilibus auſis ac cœptis de ſimili auxilio certæ: quàm felix in cælis illorum erit conditio; ſi ſola in terris narratio tanto gaudio nos complet? Vbi nunc verſantur? aut vbi verſarentur, ſi mundi caſtra fuiſſent ſecuti? Erubeſcat, qui animis deficit: anathema ſit, qui eorum exemplo amare DEVM non diſcit.

CAPVT IX.

De ſanctâ vitâ, quam Bernardus Auguſtæ Salaſſorum egit, & quâ ratione ſit factus Archidiaconus.

NVNQVAM maioribus votis S. Alexius ab Euphemiano patre ſuo fuit expetitus ac ſtudioſiùs quæſitus; quàm Bernardum parens, Mentonius dynaſta, inquiſiuit. In omnes

enim

enim vias excubias & ſpeculatores miſit, curſores ac nuntios eo ſolùm fine quoquouerſum emiſit. Eâ tamen diligentiâ æquè nihil effecit, ac Euphemiani induſtria valuit: quando ſeruum ſuum Devs in vmbrâ tutelæ ſuæ texit ac protexit. Ceterùm dum ædes paternę tumultu & luctu complentur, ipſe interea Auguſtæ ſub habitu Clerici delituit, vt nomine tenus obſcurus, ita virtutis æſtimatione celebris. Eius enim amœna conſuetudo, morum grauitas, actionum modeſtia, profundi inter colloquendum ſermones, attentio & facilitas agendi in congreſſu, illuſtrium exemplorum ſplendor, ſanctimonia vitæ ſingularis, omnes intuentes ad ſe rapiebat. Domicilium ſuum apud magiſtrum & Spiritûs ſui moderatorem, Archidiaconum habuit: à quo ad ritus Eccleſiaſticos, diuinum officium, vſum Sacramentorum, & orandi exercitationem ritè obeundam erudiebatur. Quibus rebus probè inſtitutum Canonicis Eccleſiæ

Cathedralis accenſuit, vt præclarũm illius Collegij decus ac ornamentum: cui in viuis inſtar animæ ac ſpiritûs, poſt mortem verò, cùm fuit Diuorum numero adſcriptus, pro coronâ fuit. Inde à ciuitatis Epiſcopo fuit ſacris Ordinibus initiatus: cui erat inprimis charus, & libenter de pijs rebus diſſerere auditus, ob inſignem eius in hoc genere dicendi gratiam; ſiue in familiari alloquio, ſiue è ſuperiori loco verba faceret: vbi ceu tonitru ac fulmen, auditorum animos ſalubri dolore perfregit, miráſque morum in melius conuerſiones effecit, diuinum ignem in omnem partem circumferens. Credidiſſes, ex Angelis illis vnum te videre, quos cæleſti currui junctos Ezechiel vidit: dum libero volatu rectà in altum ad ipſius DEI cor euolans, iterum ſe demittit, fulgure celeriùs in prædam delapſus. Ei quippe ſolenne fuit, in conclaui ſuo per triplicem Aſcetarum viam, quam vnitiuam, illuminatiuam & purgatiuam dicunt, di-
uina

uina myſteria ſecum expendere; no-
ctu ſtudijs inuigilare; diem viſitatio-
ni ægrorum, miſerorum ſolatio, ho-
ſtium redintegrandis animis, muneris
ſui exercitijs, officio Eccleſiaſtico, piæ
in egentes largitioni, obſequijs chari-
tatis, habitis ad bene viuendum ex-
hortationibus impendere; à quibus
audientes omnes ad ſalutis curam
ſunt exſtimulati: omnia amoris, hoc
eſt, DEI, qui amor eſt, amore audere:
cuius interuentu DEO fructus de cul-
turâ ſuâ exſpectatus tribuitur, ac felix
inde æternitas promeretur. Ita viue-
bat, ſenſim ceu per graduum Canti-
cum in domo DEI ſeipſo altior; vt ad
maius faſtigium, quod illi DEVS deſti-
nauerat, habilem ſe faceret. Nam cùm
vir Venerabilis Petrus Archidiaconus,
eius in diuinis magiſter, vitam cadu-
cam cum meliori & ſenectutem cum
æternâ juuentute permutaret, dignam
DEI ſeruo remunerationem nactus, ob
operam fideliter Deo & ſanctitati na-
uatam; quam laudem illi S. Nicolaus

vt suprà meminimus, tribuit: ne locus ille vacaret, sed potiùs hominis idonei meritis fieret illustrior, S. Bernardus communi calculo fuit subrogatus, anno Christiano nongentesimo sexagesimo nono; qui Bernardo viuenti sextus supra quadragesimum fuit. Et licèt se multis excusaret, quæ modestia ei suggerebat, vt illud à se onus abijceret; acquiescendum tamen communibus votis ei erat. Quæ noua dignitas vt eum se dignum accepit, ita digniorem postea effecit, mores adeò non in deterius mutantem; vt potiùs veterum tenax altiùs virtutem eueheret: dum ei necessitatem imposuit, pro publico intuentium bono, humilitate, ardore animi, ac pietate nunc vel maximè ceu ex aureo candelabro prælucere; maiorem rigorem in cœpto vitæ ordine tenere; plus charitatis in proximum, plus animi erga pia opera afferre. Ita in ipso honoris incremento seipso minor, tantò se magis abiecit: neque aliud quàm labores auxit,

non

non ignarus, S. Paulum omnibus Ecclesiasticis dignitatibus bonum opus attribuisse, quod solummodo in huiusmodi ministerijs est desiderandum. *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* *a* Ex eo tempore pro cibo plerumque non nisi panem, eúmque cibarium, pro potu aquam adhibuit; quam subinde felle & absynthio diluebat. Vili plerumque ac detriti coloris panno vestiebatur, munditiæ tamen studiosus nihil sordium tolerabat. Semper indutus cilicio, nudo asseri indormijt. Atque inter has asperitates vultu tamen semper amœno fuit: adeò verum est, solidam hilaritatem è suî victoriâ & virtute proficisci. Ceterà in obeundo suo munere vigil ac solers fuit; neque passus est, in Episcopatu quidquam aduersus bonos mores designari. Hinc ad SS. Ordines aut Ecclesiastica beneficia neminē promouebat, qui non aptus, & dotibus à SS. Canonibus requisitis instructus es-

 set,

a 1. *Timoth. cap.* 3.

ſet. Beneficij ſui reditus non niſi ad pauperum & Eccleſiæ vſum conuertit; quemadmodum è præclaris Xenodochijs ac Monaſterijs ab eo inſtitutis manifeſtum eſt. Quouis triennio pro Archidiaconi officio diœceſin pedes ſuomet ſumptu obibat; in quo munere Eccleſiæ duntaxat bonum ac Dei gloriam ſpectauit. Cúmque facilè intelligeret, in bonis publicis plus eſſe emolumenti; operam inſuper dedit, vt ciuitas ac Diœceſis probos ludimagiſtros haberet, qui primis virtutis ac timoris Dei rudimentis juuentutem imbuerent. Poſtremò nullus in ditione illâ locus fuit, qui eius calore non foueretur, eiúſque ardoris documenta non præ ſe ferret; infantum more, qui in vtero materno matrum ſuarum inſolentibus deſiderijs notantur. Verbo viuum perfectionis in vitâ mixtâ & ſolidâ reperiendæ exemplar, & idea Archidiaconi omnibus numeris abſoluti fuit. Illud quóque in ipſo erat ſingulare, quòd nunquam profano-

rum

rum ſocietati ſe immiſcuerit, aut cum quoquam egerit, niſi frugis causâ: quòd perſuaſum haberet, ſatius eſſe, ſibi ſoli viuere, quàm cum religioſæ quietis jacturâ plurium conſuetudinem inire. Vnius Valdiſerij Canonici, (cui propè vni hæc de Bernardi vitâ monumenta debemus) familiaritate crebriùs vtebatur; quòd & ipſe ſolitudinis amans totum diuinis rebus ſe tradidiſſet: de quibus inter ſe colloquuti, mutuò ad ſtudium virtutis accendebantur, Seraphinorum more; qui vultibus in ſe mutuò conuerſis, aliſque ſeſe contingentibus, ad Dei amorem ſe exſtimulant. Et quoniam Seraphinorum nomen ei attribui, legat, qui volet, S. Bonauenturæ librum de ſex alis: vbi agnoſcet, hunc Diuum ſuo volatu diu antè, quàm alter ille vir Seraphicus alas Seraphinorum deſcripſit, omnium alarum officium exactè præſtitiſſe.

CAPVT X.

De victoriâ, quam S. Bernardus in Monte Iouis à Diabolo reportauit.

DVM S. Bernardus ſuum munus conſtanter perſequitur, factus cum Dauide ſeipſo quotidie melior, & cum juſto creſcens vſque ad perfectum diem: interea Auguſtæ Salaſſorum fama vel veriùs rumor vulgatur, Dæmonem in Monte & Columnâ Iouis magnam vaſtitatem & ſtragem feciſſe; quando nuper adeò vndecimum, aut vt Breuiarium ait, decimum quemque è Gallis peregrè Romam illac tranſeuntibus abripuit: reliquis metu conſternatis in vrbem profugientibus. Igitur Bernardus pro conſueto ſuo ardore à peregrinis mali totius originem perdiſcere voluit, à quibus inprimis audijt, Romanos, Valle Auguſtanâ Duce Terentio Varrone, imperante Auguſto potitos, in jugo Penninarum Alpium in ipsâ ſemitâ di-

ctæ vallis, quâ Pennina ditio aditur, Ioui ſtatuam erexiſſe: quam Pennini poſtea deiecerint, Pennini Dei ſui ſimulacrum in eius locum ſuffecturi. Adhæc virum quendam diuitem ac potentem, Polycarpum nomine, in Graijs Alpibus viæ Tarentaſium ducenti columnam è Porphyretico lapide affabrè elaboratã impoſuiſſe, in cuius epiſtylio carbunculũ ingentis pretij collocauit, quem Iouis oculum dixêre; quòd opinarentur, Iouẽ inde citiùs ac longinquiùs ægrorum, ſuam opem inclamantium, morbos intueri. Hinc decurſu temporis factum, vt dæmones nullo alio ritu in poſſeſſionem acciti, ſtatuam & carbunculum occuparent, & plurium locorum circumiacentium incolas, nuper ad Chriſtum recèns adductos, immani barbarie ac tyrannide cogerent, diuinum ſibi cultum habere ac ſacrificare, immania ſupplicia mortémque, ſi parere nollent, interminati. Ac videbatur ex parte ijs benefacere, qui metu com-

pulsi, à Dei cultu desciuissent; dum eos induxerunt, si semel potuissent accuratè Carbunculum inspicere, omniũ malorum remedium ipsos habituros. Populus igitur ijs præstigijs ac inanibus commentis deceptus, facilè in Orci insidias incidit: quorum aliquibus in speciem sanitati restitutis, alij in fraudem inducti, alij crudeliter in vijs jugulati sunt; omnes autem dęmonum ludibrio ac deceptioni patuerunt. Porrò longè maiores tragœdias in Alpibus Penninis excitârunt, statuâ Iouis abusi: vbi olim ara fuit Pennini Numinis sacrificijs destinata. Illic enim vndecimam aut decimam rei cuiuslibet præteruectæ partem pro tributo exigebant, omnibus, etiam hominibus decimatis: è quibus vndecimum cunctis inspectantibus in ignotum locum abripuerunt. Vnde viæ rariùs tritæ & oppida fuêre incolis nudata. Perlatum quoque ad Bernardum fuit, Ciues Augustanos ac reliquam viciniam, ab eiusmodi spectris infestari so-

litam

litam ad jeiunia & preces publicas confugisse, vt à Deo virum sanctum impetrarent, qui malignos Spiritus illinc abigeret: ídque ab ipsis eo ipso tempore factum, quo Bernardus ex arce Mentoniâ in illas terras concessit. Ex quo facilè conijci potuit, ipsum illuc à Deo in eum finem fuisse submissum. Quare diuino spiritu vehementer instigatus, ad conclaue secedens per gloriosę Virginis ac S. Nicolai Patroni sui merita, Deum enixè rogat, vti velit genti auxilium ferre, pulsáque Dæmonis tyrannide, ditionem illam expurgare, Orci laruis ad Inferos ablegatis. Ob eam rem paratum se dixit, vitæ ac sanguinis impendio, publicæ saluti consulere. Sequenti dein nocte, vt post consuetas pietatis exercitationes solebat, quietem captanti S. Nicolaus peregrini habitu adstat, Deíq; jussu eum allocutus, jubet in Penninarum Graiarúmque Alpium summitatem eniti; vt inde iniquum possessorem & fortem armatum eijciat; pollicitus, Deum illi

auxi-

auxilio, & successum operis felicem fo-
re. Posthęc ordine illi modum omnem
præscribit, quem in exorcismis teneat,
quósque ad hoc negotium comites
adsciscat. Confestim igitur deserto
strato, summo manè ad Episcopum
suum se confert, ostentóque cælesti
exposito addit, credere se, hunc S. Ni-
colaum patronum suum fuisse: qui
cùm aliàs sibi promisisset, Dæmones
ex Alpibus se fugaturum, promissa sua
velit euentu probare. Tum demissè
rogare obtestaríque Præsulem instititit,
vt juuare suos conatus, juberéque vel-
let, vti populus vniuersus cum Clero
supplici agmine ad S. Remigij oppi-
dum, quod est ad montis pedem si-
tum, comitaretur, ibíque, dum rediret,
inter preces opperiretur. Solennis
igitur supplicatio instituta insigni or-
dine ad præstitutum locum deducitur;
vbi Bernardus omnes ad preces inte-
rea continuò faciendas cohortatus,
sumptis secum decem peregrinis Gal-
lis, ac, vt erat à Deo commonitus, præ-
ire

ire juſſis, ipſe vndecimi locum occupans, Archidiaconi habitu & pedo instructus rectà in hoſtem contendit, certus eum adoriri ac profligare. Dæmon vbi aduertit, ſe peti, & fidelium exercitum ad montis radicem in armis eſſe, manipulum quoque voluntariorum militum, quos S. Bernardus duceret, ſe oppugnatum, éque munitione deturbatum venire; vim anteuertere parans, à terrore velitationi initium dedit. Densâ igitur niue, ac ſpiſſiſſimis, nubibus grauem procellam minitantibus, obducto monte diem eripit. Mox ingentes ventorum turbines excitat, ignibus identidem ac ſcintillantibus flammis intermicantibus, quæ perpetuò abruptis interuallis vibratæ ſimul oculos perſtrinxerunt, & tonitruum fragore aures obtuderunt; grandine, fulminibus, ac tempeſtatis rabie, omnia commiſcentibus. Tantus erat eo loci horror, ac tempeſtas tam formidabilis: vt cordatiſſimo cuique animus defuiſſet, non dicam, cœptum

con-

conflictum ac iter prosequi, sed vel intueri montem igne & dæmonum furore penitùs ardentem. Veruntamen S. Bernardus nihil inani terrore commotus, socijs bono esse animo jussis, intrepidus procedit, pede semper in nouam possessionem vlteriùs immisso. Sed quò propior montis fastigio imminebat, tantò pugna fuit calidior. Bernardus nihilominus, vt erat inuicti animi, ac de victoriâ omnino certus, etsi in medijs flammis, turbine ac grandine versaretur, attamen illæsus & intactus rectà eò contendit, vbi idolum erat collocatum: quod ingenti vociferatione, mugitu, sibilis, rugitu insanum in modum furens, videbatur velle vndecimum rapere. At ille Sacerdotali habitu ac scipione obarmatus, instar Dauidis, aduersus hunc Colossum procedit, ac efformato in eum Crucis signo stolam eius collo inijcit: quæ subitò in ferreum catenæ orbem mutata est, eâ solùm parte exceptâ, quam Bernardus manu tenuit. Inde

totis

totis viribus adortus, è basi deijcit, statuámque lapsu suo comminutam terræ illidit. In hunc modum omnes orci machinæ funditus conciderunt. Post tam heroicum facinus, vt victoriam accumularet, hostémq; subactum armis exueret; exorcismis dæmonem, veterem statuæ possessorem, aggreditur, vrget, ac Dei nomine jubet, eo loco quamprimùm abscedere, ac inhabitatas Montis Mailletani voragines duabus illinc leucis versus Occidentem distantes immigrare; neque inde vnquam ante mundi finem emergere; prohibitus quoque singulari imperio fuit, ne quauis ratione vlli in eo ergastulo noceret. Hoc audito imperio dæmon instar fulminis excessit, tanto cum fragore, vt non mons duntaxat, sed orbis vniuersus in se ruiturus videretur. Tum demum cælo reddita serenitas, panicísque terroribus euanescentibus, iter deinceps transeuntibus innoxium fuit: & S. Bernardus cum peregrinis, gratijs Deo actis, ad

ad S. Remigij oppidum redijt: vbi Episcopus ac ciues omnes consternati precibus insistebant, reditu Bernardi comitúmque penitùs desperato. Mox illis reuersis omnia in lætitiam versa, & pugna in gratiarum actionem commutata est: solennique carmine laudibus Deo persolutis, triumphi specie hostis deuicti spolia eodem agmine in vrbem, tam felici euentu gestientem, pertulêre. Vbi ciuitatem intrârunt, bonus Antistes in S. Bernardi gratiam suo se voluit munere abdicare, ídque, vt aiebat, meliori se cedere; quemadmodum res ipsa loqueretur. Sed & in hoc conflictu humilitate ac modestiâ Bernardus vicit: sapiénsque Præsul superatus, postea semper meritis ac sanctitati Archidiaconi sui primas detulit. Atque hoc primum eius prælium fuit. Nunc ad secundum non minùs isto gloriosum transeamus.

CAPVT

CAPVT XI.

De aliâ S. Bernardi victoriâ, quam aduersus Carbunculum obtinuit.

DÆMON ne quid perderet, néue ditionem ſuam diminueret; vbi vidit tam turpiter ſe fugatum, ac jure ſuo exutum, quod in Montem Iouis antè ſibi vſurpauerat; conatus eſt, damnum illud denuo reſarcire, tanto maiori furore, prope Carbunculum ſuperſtitioſum, de quo ſuprà mentionem fecimus, immaniter debacchatus. Ibi ergo mala omnia ſimul molitus, aſtu, impietate, exagitatione, rapinâ, crudelitate, vexatione variâ viatores & inquilinos adeò fagitauit; vt nemo illic ampliùs auderet comparere. Quâ de re Bernardus certior factus, denuò ad Epiſcopum reuerſus, rogauit, vt hac ſaltem vice ſupplicationibus publicíſque precibus, ad expugnandam Diaboli potentiam auxilio

xilio ſibi eſſe vellet. Et certè videbatur prima victoria ſequenti viam ſtrauiſſe. Igitur vbi de inſtituendâ ſupplicatione fama percrebuit, infinita multitudo accurrit, ordinéq; ad Graias Alpes, quæ à Columnâ Iouis nomen habent, progreſſi, ad alterum conflictum deſcendêre. Quo agmine hoſtis exterritus, & inprimis Bernardi ſanctitatem malo ſuo ſibi perſpectam formidans, non auſus eſt ampliùs in acie ipſum opperiri; ſed non exſpectatâ clade, vltro locum deſeruit. Ergo arcis illius victores abſque armis triumphârunt: & Archidiaconus Ioſiæ Regis, Idolorũ aras demolientis, & Moyſis vitulum aureum in puluerem comminuentis, exempla ſecutus, Carbunculum arreptum contriuit, & in plures partes diffracti pulueres ventis obiecit. Eo facto, poſtquam locum expiauit, vetuítque malignos ſpiritus quidquam exitiale ibidem moliri, victoriâ memorabili potitus domum reuertitur, diuinæque maieſtati cum po-

pulo

pulo vniuerſo ſolennes gratias agit. Dignus profectò erat vir ſanctus, cuius memoriæ altiſſima columna erigatur, eíque carbunculus tam fructuoſæ charitatis index imponatur, qui pretiosâ luce totum orbem illuſtret.

Ceterùm facinora hæc tam rara excedere fidem, ac eſſe commentitia quibuſdam cenſorijs, ſed judicio laborantibus ingenijs, nõ ob aliam cauſam videbuntur, quàm quòd ipſi non legerint. Atqui antiquitas res multò admiratione digniores per idoneos auctores nobis ſuppeditat. Nam præter conſtantem famam ad noſtra vſque tempora deriuatam, ac monumenta etiamnum illic viſenda, id, quod S. Proſper in ſuis prædictionibus de Romano dracone recenſet, a qui quolibet anno Virginem ipſi ſacrificium afferentem deuorabat; donec vir quidam Religioſus ac ſanctus dextrè magnóque animo confecit; æquè inſolitum eſt, quàm quod modò recenſuimus,

a *Part. 5. præced. 8.*

mus. Illud quoque, quod Raderus è Societate IESV in Viridario Sanctorum è Græcis Menæis excerpto narrat, tantundem admirationis habet. Cùm enim ciuis Antiocheni filia esset sorte condemnata, vt Draconi pabulum sacrificij ritu obijceretur; pater in animo diuinitus commotus, tunc cùm S. Ioannis Baptistæ manus, illuc à S. Lucâ deportata, publicæ venerationi exponeretur, inter osculandum clàm dentibus aliquam è manu particulam præmordit: eáque armatus in arenam cum dracone descendit, cum ferali sibilo ac squamarum stridore ad paratam prædam erumpente: atque vt patere belluæ fauces conspexit, tantâ dexteritate in eas sacrum pignus conjecit; vt, quemadmodum Daniel olim exiguâ picis massâ Babylonium Draconem disrupit, pariter hostis rupti gulam eluderet, filiæque tanto periculo exemptæ, alterâ nunc vice pater vitam daret. Quibus exemplis inducor, vt credam, S. Georgij cum Dracone

pu-

pugnam, Templum Pacis à Numâ extructum. fabulosa non esse, quidquid nonnulli sentiant, qui testimonium S. Clementis Alexandrini in Stromatum libris allatum ignorant. Supersedeo alijs mille prodigijs, quæ docti in antiquis monumentis obseruârunt; certò persuasus, omnes criticos, si ea versauerint, mihi assensuros esse. Sed vetera eiusdem veritatis adstruendæ causâ documenta producamus: si quidem, ego primus obseruaui, nomina locis attributa, ceu effecta, suæ causæ patrocinari. Ergo vnus è montibus, qui in Alpibus Penninis, ita à Pennino Deo nuncupatis, visuntur, Mons Iouis dicitur: quod apertum est testimonium, statuam illic & cultum Iouis fuisse. Deinceps autem à S. Bernardo, qui dæmonem inde expulit, nomen Bernardi Maioris accepit: quod alterum veritatis documentum est longè locupletius. Mons alter in Graijs Alpibus positus, Columna Iouis dictus est, (quæ etiamnum visitur) ob carbunculum inibi

collocatum, quem Iouis oculum credidêre: hodie verò Minor Bernardus vocatur; quòd Mons, Xenodochium & Monasterium ſint Monte Iouis minora; qui caput ac præcipua ſedes eſt. Quo indicio meridianâ luce clariùs patet, negotium illud reuera eo, quo dictum eſt, modo geſtum eſſe. Neque his quidquam ad antiquitatis fidem addendum cenſeo: cùm res ipſa in oculis poſita loquatur.

CAPVT XII.

S. Bernardus in Monte & Columnâ Iouis duo Domicilia ædificat.

POSTQVAM ſupplicatio finita eſt, S. Bernardus geminū prodigium altiùs in animum admittens, æquum putauit, immortales Deo gratias agere, ac, veluti Moyſes, Ioſue, Dauid, aliique hoſtium domitores conſueuerant, æternum trophæum erigere. Duos igitur triumphales arcus pa-

rabat ſtatuere, non à ſuo, prout Saulus & Abſalon fecerunt, ſed Dei pugnantis & vincentis nomine nuncupandos: gemina videlicet Monaſteria & Xenodochia per Canonicos Regulares S. Auguſtini adminiſtranda, qui ad Deum ritè colendum dies noctésq; melodiâ Pſalmorum ac Sacrificijs rem diuinam procurarent. Vtque proximum iuuarent, aduenis eo, quo iubebantur, ordine inſeruierunt, quos in periculis adiutos humaniter, ut Chriſti diſcipulos decebat, domi ſuæ tractârunt. Quæ omnia S. Nicolai Patroni ſui auſpicijs, nomine & patrocinio perpetuo fieri voluit. Eo tam ſalubri conſilio ſuperſtitionem in Religionem, Pantheon in templum veri cultûs, latronum ſpeluncam in Religioſorum, magnâ charitate in omnes prædictorum, domicilium commutauit: modúmque inuenit, futuris exinde ſeculis omnibus Europæ Prouincijs bene faciendi: quæ hodiéque omnium viatorum illàc commeantium loco, Religio-

 ſis

ſis inibi viris obſtrictæ ſunt, ſummis officijs ac humanitate in prætereuntes vtentibus. Eius verò ædificij primi ac viui decem lapides fuêre decem illi Galli peregrini, prodigiorum in utroque monte patratorum oculati teſtes. Quorum exemplo multi alij allecti, eorum cœtui ſe adiunxêre: qui poſt ſeptingentos annos ad hoc vſque tempus in flore ſummo integerrimus conſiſtit: quemadmodum & alii Ordines florent, qui pro ſcopo ſuo miſericordiæ atque charitatis officia, ceu gemmas & primos iactus ac fundamenta diuini templi, præfixerunt. Vt autem non minùs ſtrenuè negotium exequeretur, quàm piè ſuſceperat; interea dum operi finis imponeretur, ſibi ac ſocijs in Monte Iouis parua gurguſtiola exſtruxit. Vbi aliquot annis commoratus, ſimul Religioſorum ac ædificij curam habuit. Duo autem opera moliebatur; vnum in Monte Iouis, quod hodie Bernardus Maior vocatur: alterum in Columnâ Iouis, quod

nunc

nunc Bernardum Minorem indigetant, bidui interuallo à Maiori distantem. Eo quoque loco Religiosos quosdam constituit: quos per annum subinde adibat, tum solatio futurus, tum eos ad studium virtutis animaturus. Primum ædificium mille nummis aureis fuit absolutum: quos ille ex Archidiaconi censu comparsit, ieiunijs ac abstinentiæ tam deditus, vt solâ oratione sustentari videretur. Hoc sanè erat, sanctorum virorum receptam sententiam factis exequi, iubentium, Christi patrimonium in pauperum vsum ac domos erogari. O si omnes hoc spiritu essent afflati! ô si omnes Bernardi, Chrysostomi, Eleemosynarij, Paulini, Ximenij, Caroli forent! quanto in flore fas esset Ecclesiam intueri? Nostrum quidem seculum non est adeò sterile, vt eiusmodi viris careat: attamen numerus eorum tantus non est, ut maior optari non possit. Ego ita existimo, si iubear sententiam dicere, alterum Bernardi opus

fuisse primo præstantius; ac pluris habendum, quòd ad DEI & proximi obsequium duas sedes exædificârit, quàm quòd bis Dæmonem triumphârit.

CAPVT XIII.

Qualem cum Antistite suo vitam egerit.

SI Bernardus aliquamdiu in Monte Iouis versatus; vt cœpti operis perfectionem vrgeret; vbi vidit, ædificium iam in sublime exurgere, magnáque celeritate geminas hospitales domos maturari; discipulos etiam, quos in virtutis studio efformandos susceperat, magnos in eâ progressus facere: statuit, Augustam redire, tam vt muneri suo, quo tenebatur, satisfaceret, quàm vt Præsuli recèns electo, qui Bosius dicebatur, reuerentiam haberet. Quare in Monte Iouis cuidam suas vices commisit, qui spiritûs & œconomiæ curam haberet; cuius pru-

dentiæ

dentiæ fideíque vbi omnia commisit, Religiosos omnes arctè complexus, & ad mutuam charitatem ceu religiosæ militiæ tesseram cohortatus, inde discessit. In vrbem deinde relatus, post actas in cathedrali templo Numini gratias ac persoluta vota, rectà ad Episcopum contendit; vt eius potestatem veneratus, sibi bene dici postularet. Quem pius Antistes mirâ humanitate excepit, quæ satis testaretur, quantam de sanctitate illius opinionem concepisset: diúque cum ipso de magni momenti rebus collocutus, talia responsa consiliáque elicuit; vnde clarè animi vigor, sincerúsque candor appareret. Erat profectò magnum theatrum, & spectaculum bonis omnibus dignum, videre viros duos tantæ dignitatis in congressu aut reditu inter se contendentes, vter altero modestior, alteri primas deferret: id quod de S. Basilio Magno & S. Gregorio Theologo narratur. S. Bernardus quidem Præsulem, vt suum pastorem, venerabatur; in

quo præter priuata merita Apostolicam dignitatem, ac perfectionem colebat, tam eximiam, vt inde subiectum gregem ad eandem induci necesse esset: eo prorsus modo, quo primæ Angelorum Hierarchiæ inferiores purificant, illustrant, ac perficiunt. At S. Præsul in Bernardo diuinam electionem, miracula inaudita, sublime vitæ genus, à generis quoque tam illustris nobilitate altiùs euectum, admirabatur. Tunc scilicet æuo illo ignorabant, quid vsitata temporum nostrorum perturbatio esset; vbi tam parùm subiectis cum capite suo conuenit. Atque idcirco, quòd SS. Canones Archidiaconum Episcopi oculum appellent, non alijs quàm Bernardi oculis videre, nihil absque ipsius consilio constituere, aut scire sine illius arbitrio voluit: tantopere idoneum expertus erat. Quod cùm S. Archidiaconus animaduerteret; vt duos hostes inuidiam simul & gloriam eâdem fugâ profligaret, in solitudinem recessit:

vbi

vbi ſuî ac DEI cognitioni vacaret.
Nihilominus vitare non potuit, quin
conſilij causâ ſubinde adiretur; in
quem finem identidem accerſebatur.
Ita magnus DEI amicus ac ſeruus me-
liorem vitæ partem tranſegit, Actiuæ
& Contemplatiuæ vitæ ſtatis vicibus,
grato vtriusque alternis permixtæ
concentu intentus.

CAPVT XIV.

*De Mentonij Baronis in Montem Iouis in-
ſtitutâ profectione.*

FLVVIVS, qui Mardochæo dor-
mienti à DEO oſtenſus, primò
quidem exiguo fonte ortus, mox
ita intumuit; vt ingens flumen effice-
ret, ac poſtmodum mutatus in ſolem,
ejus in aulâ altiùs euehendi faſtigium
portendebat: Sanctorum quoque pro-
greſſum, ac incrementa aptè ſignifi-
cat; qui fructus ſuos adeò in ſublime
efferentes, altas deorſum radices a-

gunt. S. Bernardus, qui hactenus, vt tenuis scaturigo, ignotus latuit, modò in vastum flumen enatus, cursu beneficiorum, ac famâ nominis omnes Europæ Prouincias irrigauit: exinde vitæ sanctioris exemplis altiùs instar sideris collocatus, orbis vniuersi oculis exponebatur. Peregrini passim omnes oras secundo rumore exhilarârunt, transitum per Alpes ab infestatione Dæmonum liberatum: virum sanctum Archidiaconum Augustanum, ac duorum celebrium Xenodochiorum conditorem eos è duobus montibus proscripsisse: ipsum vitam agere Angelis quàm hominibus propiorem. Eadem fama ad Mentonium Baronem, Bernardi parentem, perlata est: qui necdum animo æquo filij vnici iacturam passus, eò se conferre decreuit, vt à viro sancto in amissi filij causâ, aliquod doloris leuamen perciperet. In eandem sententiam mater concedit; ambóque Beaufortium Dynastam cum pluribus alijs è nobilitate vtriusq; sexûs comites

tes exorant, qui promptè se peregrinationis socios addiderunt. Et omnino rectè peregrinationem dico; quoniam omnis eorum occupatio ac sermo de rebus pijs duntaxat fuit, tam vt felix foret institutæ profectionis successus, quàm vt viæ fastidia lenirent. Inter eundum ad S. Mauritij Reliquias colendas Agaunum digressi, modicis itineribus tandem ad Montis Iouis pedem peruenêre: vbi resumpto spiritu, vt tantò faciliùs in montem eniterentur, læti denique Bernardi maioris hospitalem domum attigerunt: vbi eos Bernardus vultu hilari ac singulari animi magnitudine excepit. Hîc ego amplissimum mihi theatrum, mundúmque vniuersum pro spectatore optarem. Neque enim similem vnquam occursum, mutuámque agnitionem, tam tenero partis vnius affectu, alterius verò constantiâ factam sol vidit. Ipse quidem primo statim intuitu, parentes, patrinum, comitésque propemodum omnes agnouit: sed neque co-

lorem neque mores idcirco mutauit; quin nullâ ſanguinis habitâ ratione ita cum illis egit, ut ſolitus erat cum ignotis agere: adeò diuino amore abſorptus, omnes alios affectus exuebat. At, inquies, crudelitatis genus eſt, viros bonos, à mœrore potiùs recreandos, in ſuæ voluntatis gratiam diutius affligere. Verùm S. Hieronymus reſpondebit, crudelitatem hanc veram in Deum pietatem eſſe, qui venit ſeparare patrem à filio, vt arctiùs vtrumq; ſibi & in ſe coniungat. Hinc iſta ſuorum ignoratio vera DEI cognitio eſt: ad cuius præſentiam & obſequium parentibus dicendum: *Neſcio vos.* Ipſe generis humani Seruator, qui matrem ſuam vnicè veneratus, omnes illius nutus pro imperio habuit, an non eidem reſpondit, Patris ſui negotia curanda ſibi eſſe? Quantum, quæſo, ſcelus foret, vt tuos agnoſceres, DEO diceres: neſcio te? Omne aliud obſequium ceſſat, vbi de præcipuo, quod DEO debemus, obſequio agitur. An non Rex

quidam

quidam Perſarum opulenti viri clientis ſui filium tolli è medio juſſit: quòd eum pater vt ſuum ſolatium à rege repeteret, cùm vellet is natum ſua caſtra ſequi? ac parentem memorabili oratione allocutus: Ego, aiebat, Rex tuus ipſe ad prœlium contendo: at tu vis natum tuum ad captandum ſolatium abducere? Si itaque plus Regi mortales quàm patri debent: quis poſthac audebit Deo patrem æquare; niſi velit læſæ diuinæ majeſtatis, ac ſacrilegij reus peragi? Sed ſatis excurſum eſt: nunc cœpta proſequamur. Nobiles igitur aduenæ Bernardum penitùs non agnouerunt; ſiue quòd pluribus jam annis domo abfuiſſet, ſiue quòd longæ vigiliç, abſtinentia & auſteritas eum ita extenuâſſet, vultúmque emaciâſſet; vt primæ venuſtatis jam nihil retineret, lineis, vnde agnoſci poſſet, planè abolitis, veluti ſi ſpongiâ fuiſſent inductæ. Hac ratione eos, nullo ſuî facto indicio, primò ad ſacellum, inde ad honeſtius conclaue hoſpitum deduxit. Illic

Men.

Mentonius Dynaſta cum conjuge ſupplex, in afflictis rebus ſolatium poſtulauit, quibus eo tempore premerentur, quo filius vnicus & ſpes poſteritatis inopinatâ fugâ mœrentes deſeruiſſet: de quo in eum diem nihil inaudire potuiſſent. Ad quas voces Bernardus velut communi humanitate permotus, commiſerantis in modum reſpondit, hoc vulnus vtique eſſe ipsâ morte acerbius: ſe tamen confidere, illum ipſum, qui eam plagam inflixit, denuo curaturum. Iacobum diu fuiſſe Joſepho delicio ſuo orbatum ac illacrimatum; ingenti tamen lætitiâ recreatum; quando ſuiſmet oculis ſeruatorem ac Regis Ægyptij regem vidit. Latere quidem illos, ad quid eos Numen reſeruârit: fortaſſis natum ipſis eripuiſſe, vt cum vſurâ & lætitię incremento reſtitueret. Sperare ſe, ipſos priùs non morituros, quàm filium vidiſſent: quemadmodum Euphemianus Alexium ante obitum conſpexit. Quòd ſi hoc eis negatum foret; fingerent ſe nullâ prole donatos;

natos: meminissent, eum febri paucu-las intra horas absumptum; aut in acie cum multis alijs cecidisse. Frustra illos necessitati obsistere. An verò vellent Deo diem dicere, quod ad gloriæ suæ incrementũ id fieri voluerit? Atqui hoc non esse, gratias Deo de tot alijs innu-meris bonis, quibus eos præ reliquis multis cumulâsset, debitas persoluere. Abrahæ, Symphorosæ, Matris Macha-bæorum, Annæ alicujus animos indue-rent, pluriúmque aliorum, qui læti Deo & supplicijs tortorum charissima pignora immolâssent, infinitis modis sé obstrictos arbitrati, qui ea pro vi-ctimis vnà cum filio suo, nostrâ causâ seipsum immolante, acceptare digna-tus est. Vbinam esset mors morti, a-mor amori, filius pro filio debitus? Eos injusto dolore fructum atque me-ritum sacrificij sui perdidisse. Cur ne-cessitatem non ad vsum virtutis con-uertissent? saltem de cetero eâ rectè vterentur, ac in Deum liberales essent. Cur tanto se putarent malo exerceri,

vitio imbellis animi fieri. Dicendum ipsis cum Tobiâ fuisse, cùm eâ calamitate tangeretur; *Filij Sanctorum sumus*, a In bonis vestris, pergebat porrò Bernardus, illud malum mihi præ ceteris videtur, quòd crederetis malum esse, atque idcirco à vobis, vt ignotum malè haberetur. Sed quæso vos, si Princeps aliquis eum abstulisset, vt altiori gradu, totámque familiam vestram nouo honore insigniret; potuissetísne conceptum animis gaudium dissimulare? Postquam autem Deus eum liberali pensione donatum, regni sui negotijs adhibuit, ac præcipuum aliquem in aulâ suâ locum illi destinauit, vos videlicet bonam eius fortunam, & domûs vestræ prosperitatem deploratis? Vnde conijcio, parentes nunquam rectè doctos esse, liberos suos aut seipsos amare. Qui filios suos non Dei, sed suî causâ diligit, an non idololatra is est, dum natorum suorum se Deum constituit? Ad hæc scitote, vos haud alio

a *Tib.* 2.

alio fine filium genuisse, quàm vt eum cælo redderetis; omnésque alias caussas vanas humanas esse. Si igitur filius illuc suum iter instituit; acquiescendum vobis, & à mœrore desistendum est. O si modò is animi sensus vobis esset, quem estis olim in cælo habituri; cùm DEI omnia gubernantis Oeconomiam videbitis, quámque cura illius in vos vestrúmque natum prouida fuerit; cùm clarè perspicietis, filium vestræ felicitatis causam esse, & absque hoc facto futurum fuisse, vt vos vnà cum filio æternæ damnationis periculum adiretis! Ejus proinde cælesti oraculo fidem habete, neque ampliùs vestram virtutem in discrimen date. DEI voluntati, cujus in res omnes imperium reuereamur, vestram conformate. Intra manus ejus beneficium, quod ab ipso accepistis, denuo consignate, filiúmque vestrum ac vos vnà ei pro victimâ consecrate. Hoc est compendium, omnia recuperandi, si sponte omnia

perdas: ſi tamen perditum dici poteſt, quod centuplo compenſatur. Si Deus vobiſcum & pro vobis eſt, diceréne audetis, aliquid vos perdidiſſe? An non DEVS mille filijs præſtat? Quapropter lacrimas ſiccate; mœrorem excutite; vósque in oculis DEI tam inciuiliter egiſſe, erubeſcite. Piaculum eſt DEO præſente triſtem eſſe, quamdiu propitio nos oculo dignatur. Ingenuè vobis eloquor, ſæpe in filijs jacturam corporum, animorum lucra liberis ſimul ac parentibus afferre. An enim amor cæcus non eſt? Et quoniam inferiora magis, quàm ſublimia ſectatur, citiùs filium in terris, quàm Patrem in cælis reperit: ac humi affixus DEI obliuiſcitur, vt hominis meminerit: & animam negligit, vt corpus curet. Verùm Deus communis & patrum & filiorum pater, paternâ ſolicitudine vtriusque curam habet: quorum conjunctio ſæpe tam eſt perniciosa; vt neceſſe ſit, filium à patre auelli, vt pater cogatur ad DEVM redire. Atq;

hæc

hæc ſunt, quæ modò expendere vos decet, præteritámque ingratæ mentis culpam fateri: quò Devm placetis, qui viciſſim haud dubiè veſtra deſideria placabit. Statuite vobiſcum, veſtrum Enoch fuiſſe ereptum, ne malitia eius innocentiam corrumperet: poſtmodum ad majora negotia ſeruatus vobis reſtituetur. S. Alexius millies majori plauſu ac triumpho fuit in morte à ſuis agnitus; quàm mille annorum vita illis potuiſſet afferre. Fortaſſis idem vobis gaudium Devs parat. Quare bono animo eſte, ac ſpem in eo collocate, neutiquam fruſtrandam.

Hac oratione finitâ ad menſam, ac inde ad quietem inuitat: quam dimidiâ mali parte jam curati captârunt. Interim affectus mutuæ agnitioni, tenerrimis animis peractæ, ſeruemus: quam Deus ſeruis ſuis indulſit.

CAP.

CAPVT XV.

De mutuâ agnitione, & reditu Mentonij Dynastæ, Patris S. Bernardi.

ALTERVM deinde manè totum pietati & SS. Sacramentorum perceptioni datum; quæ S. Bernardus manu suâ peregrinis omnibus impertijt, patris ac filii munere erga suos parentes atque patrinum incredibili vtrinque pietatis sensu perfunctus. Post hæc religiosâ frugalitate pransum est, sermonésque de hesterno argumento in alteram vsque horam à meridie producti. Tum Mentonius reditum meditatus, denuo S. Bernardum vrget ac obtestatur, velit sibi aliquam de filio recuperando spem facere; cujus potissimùm causâ illud iter suscepisset, testatus, aliter nondum se planè ab omni mœrore curatum, inde abiturum. Fieri enim nequit, ajebat, vt Deus, qui & nostrî vult misereri, & tot

tot miraculis obſequij ſibi à te præſtiti merita honorat, non aliquid tibi manifeſtârit, quod nobis eſſet conſolationi futurum. Cui S. Bernardus reſpondit, has prærogatiuas viris tantummodò ſanctis indulgeri; ſecum verò, vt cum peccatore agendum eſſe: tunc demum dicturum ſe, quæ ſciret, quæq; vidiſſet. Quibus verbis Dynaſta attonitus obſtupuit. At Bernardus cœptum ſermonem vltra proſecutus, nobilem, inquit, juuenem vidi eâ prorſus formâ viſendũ, qualem in familiari colloquio fuiſſe filio tuo, narrabas. Is ante aliquot annos hàc ad obſequium magni Principis tranſijt, apud quem ſperat ſumma omnia ſe conſecuturum: & jam nunc Principis arctè ſibi deuincti aures & animum in poteſtate habet. Quod ingenioſum Bernardi commentum ſubitò perculſo parenti ſuſpicionem injecit, hunc ipſum eſſe, de quo agerent. Idcirco accuratiùs vultum, oris habitum, ac vocem conſiderârunt: poſtmodum

dum, vt amor naturalis mirè oculatus eſt, ſenſim diem compererunt, quo fuerat amiſſus: inde in rebus obſcuris obortâ ſemper majori luce, certiora ſigna deprehenderunt. Pater itaq; gaudio geſtiens, quod amiſſum filium, ac theſaurum loco tam inopinato reperiſſet, Ergo vir ſancte, exclamabat, tu es ille, de quo loqueris, qui Deum ſummum Pontificem ſequeris? nunquid is ipſe es, quem præſentem quærimus? His dictis Bernardus ignoti perſonam ſuſtinere ampliùs haud potuit: cui proinde pater iteratò, ipſiſſimus es, ajebat; nullo artificio te diſſimulabis. Et, ô fili ſuauiſſime! ingeminans, in ejus collum ruebat: Mater itidem, chariſſimè! vociferata, cum marito inſperatâ conſolatione perfundebatur: vt multum negotij Bernardus, in temperandâ illorum lætitiâ, haberet. At illi, ſatis, inquiunt, ſatis viximus: te viſo mori tandem dulce eſt. id vnum nobis erat in votis, te ante obitum ſemel contueri; quod liberaliter

ſiter utrique Deus indulſit: quandocunque nos arbitrio Numinis mors auferat; ſatis viximus. Ceteri quoque omnes, qui in comitatu erant, eum ſunt amplexati, quos ipſe viciſſim conſolabatur. Ita omnia gaudio lacrimiſque minimè mœſtis erant plena. Atque hîc cogitationes me deſtituunt, vt tunc præſentibus vox defuit, diu præ lætitiæ magnitudine ſine voce attonitis. Iterúmque ad ſe reuerſi amicè exprobrantes, magno quidem, inquiebant, dolore nos affeciſti, multorum ſuſpiriorum diuturna cauſa: ſed ita Deo viſum eſt, cujus prouidentiam adoramus. At potuítne tibi tantum animi eſſe, vt nobis inſalutatis diſcederes, noſtrámque ſenectutem affligeres? Cúmque fueris tam delicatè enutritus, ac molliter domi habitus; quî potuiſti montium horum aſperitatem, vitámque tam duram ac difficilem perferre? Vultus tuus commiſeratione dignus loquitur, à lautitijs te procùl fuiſſe. Satis diu in ſolitudine

iſtâ commoratus es: nunc Mentonium tibi redeundum eſt, captiuum tenemus; neque negare id nobis audes. Vtque poſſis tuæ pietati vacare, domi noſtræ ſolitudinem tibi arci contiguam ſtruemus. Certè abſque crudelitatis notâ non potes reijcere preces noſtras: Chriſtus ipſe non minùs familiaribus ſuis, quàm exteris ſe impendit. Ad hæc Bernardus modeſtè veniam præfatus, reſpondit, vitam ſolitariam ſibi perjucundam eſſe; vbi agere cum Angelis fruíque DEI congreſſu poſſet. Ceterùm de reditu nihil ſe cogitare; quòd ineptum ſe ac indignum DEI ſeruitio & Regno redderet, ſi retrò pedem referret, poſt manum ſemel aratro applicitam; quod ſemper antrorſum promouendum eſſet. Addebat, ſcire ſe, Deum velle, vt eo loci pedem figeret, cœptúmque opus perficeret, tot mortalibus olim diuinæq; glorię propagandę profuturum. Quin potiùs, eos precari ſe, velint piam ad id ſtipem conferre, vt in partem

tanti

tanti meriti veniant: in eo agnoſcere ſe adhuc filium eſſe, ſi illius hereditatis, quam totam ſibi deſtinârant, partem darent, quâ ad felicem finem operi imponendum juuaretur. Parentes ejus reſponſis victi facilè poſtulatis annuerunt, polliciti ſummâ voluntate, ſe magnam ſummam non tantùm pro ædificij ſumptibus, ſed etiam alendis Religioſis præbituros. Porrò mutua illa cognitio ſequenti quoq; nocte aduenas in Monte Jouis retinuit: quo tempore ſalutis monita, & idonea ad mortem ſanctè excipiendam documenta ab eo perceperunt, ejus præſentiâ fruiti, quâ ſuæ lætitiæ indulgebant. Poſtridie, cùm pater nihil apud filium impetraret, vt ſecum redire Mentonium vellet, itineri ſe cũ ſuis accinxit, lamentis ac lacrimis longè jam copioſiùs erumpentibus. Cujus enim animus in eâ rerum facie commiſeratione non emoueretur? Videbant enim ſe ſolos abſque herede reuerti, & jam ſecundò natum dulciſſimum,

 etiam

etiam poſtquam reperiſſent, amittere; ſupremum ad hæc vale illi dicebant, certi nunquam eum ſe ampliùs quàm in cęlo viſuros. Quorum poſtremæ orationi aſſenſus Bernardus, constanti voce ac animo aſſeruit; illic ſe æternùm denuo mutuò conſpecturos eſſe: multis, quòd in hac vitâ nimium ſe in oculis habuiſſent, nunquam in alterâ fas fore ſe mutuò intueri. Ad hæc penitùs mihi perſuaſum eſt, addebat, à vitæ metâ neque vos neque me abeſſe: quid enim in vitę totius momento poſſit eſſe longum? Quapropter ſimul omnes *Benedicimus Deum cæli, & coram omnibus viuentibus confitemur ei* a illius majeſtati tantillo, quo ſumus ſuperfuturi, tempore, omni ſtudio ſeruiamus, ritè ad vltimum vitæ ſpiritum parati. Ego ſi quid apud Superos poſſum, aduersùm beneficia veſtra gratus, pro vobis cælum exorabo. Ad extremum id vnum à vobis ante abitum contendo, vt bene mihi precari velitis, id quod de

a *Tob.* 13.

de genu accipiam: meo verò loco vobiſcum IESVS erit. Ea modeſtia & animi candor ita illorum pectora emollijt, vt toti lacrimis maderent. Sed aliâ ex parte dolor eos ita occupauit; vt poſt pluries iteratos tandem amplexus, gemitu voces intercipiente, tandem diſcederent, magnam viæ partem in hoc mentis æſtu emenſi. Quæ res Raphaëlem à Tobiâ diſcedentem, & domeſticorum obſtupeſcentium admirationem, quam abitu ſuo creauit, in memoriam mihi reuocat. Verùm quàm triſte & frequens vale illud erit, quod in ſupremi judicij die in omnem æternitatem dicetur: ſi ij, qui non niſi ad breue tempus à ſe auelluntur, tam grauiter ferunt, ſe diſiungi? Viciſſim diuinum illud ſpectaculum, quod ſumus olim intuituri, magnopere animare nos debet, ad res magnas pro DEO audendum: cùm earum tam fortunatos exitus, & tam beatos denuo in amicos incidentium occurſus videmus. At nos abeuntium veſtigia ſequamur, qui

paulò pòst hinc penitùs emigrabunt, eósque bonis auibus ire jubeamus. O quàm passus vestri sunt felices, qui vos rectà ad cælum deducunt!

CAPVT XVI.

De felici Mentonij Dynastæ, ejúsq; conjugis obitu.

PARENTIBVS S. Bernardi domum in arcem reuersis, facilè fructus obitæ peregrinationis patuit. Initio enim famulitia, domum, ac vitam in meliorem formam redegerunt; etsi nunquam immodico luxu fuissent vsi: ac imposterum vitam ac labores omnes pro DEO & Cælo insumpserunt; quemadmodum erant à filio illuc ad mutuum denuo conspectum citati. Hinc se quotidie allocuti, & cui demum laboramus? inquiebant, animisque nostris bona nostra subtrahimus, omni alio herede destituti? JESVM igitur salutis nostræ parentem in filium, &

&pauperes pro heredibus adoptemus: vt, cùm nos vltima senectus confecerit, hi amici nostris opibus conciliati nos in tabernacula sua recipiant. Hæc largè dicta, factis longè liberaliùs præstiterunt: eorum enim domus egentium horreum, & mensa solis visa est, omnibus egestate laborantibus communis. Pro comitatu suo plerumque ingens mendicabulorum turba eos cingebat, quibus omnibus profusâ semper liberalitate stipem sunt admensi: vsu docti, hoc ceu fermento domi panem & foris maximis incrementis à DEO segetes augeri. Pari profusione in templa & aras vtebantur; quæ pretiosis donis ac ornamentis excolebant. Atque vt actioni contemplationem insuper adjungerent; ac pia opera spiritu orationis animarent; precibus quoq; statas horas designârunt. Quin Mentonius contrà, quàm eius indoles ferebat, totum se solitudini addixit; maluitque seorsim ab hominum turbis degere, vbi faciliùs posset cum

DEO colloqui: sæpe ad Toloirianum Monasterium descendens, Religiosos illic inuisebat; cum quibus multum de rebus diuinis sermonem habuit, sanctâ eorum consuetudine magnopere delectatus: Et vt rigorem immodicum expiaret, quo in filii sui seruos olim animaduertebat; cum illis frequentiùs libentiúsque, quàm cum ceteris agebat. Vnde tantopere Germani, qui olim Bernardi moderator fuerat, moribus attrahebatur, agendíque rationem probabat; vt eum pro animæ suæ duce deligeret: quod sibi concedi à loci Præside cum conjuge suâ, idem flagitante, postulârat: DEO obstinatos quantumuis animos cicurante. Quod vt justis eorum desiderijs datum fuit; vir probus eodem ardore horum senectutem rexit, quo prius iuuentutem filij gubernabat. Eorum proinde confessiones plerumque excepit: quod si quopiam incommodo prohiberentur, Taloirium descendere; ipse ad eos in arcem eum in finem profectus,

fectus, de DEI amore rectóque facultatum suarum vsu pium ad eos sermonem habuit. Thema tamen eius ordinarium in eo versabatur, vt ad felicem mortem rectè se disponerent: cùm vterque profectæ esset ætatis. Quæ oratio illis, marito præsertim, perquàm grata fuit: qui illud Iacobi identidem in ore habuit: *Iam lætus moriar: quia vidi faciem filij mei.* a. Interea cùm Germanus die quadã aduertisset, eos prorsus viribus deficere, veritus, ne subitò instar occumbentis solis, à morte opprimerentur, auctor eis fuit, vti testamentum conderent, quò deinceps liberiùs animi negotio vacarent. Quod prudenter admodum ac piè sunt executi; eiusdem gentis dynastis in heredes adscriptis, qui propiùs ipsis erant cognati. Atque hi deinde S. Bernardi meritis in multas illustres familias etiamnum florentes propagati sunt: quales visuntur, Gillierij, Rochefortij, Montrottierij, Beaumontij,

a *Gen.* 46.

Cosignonij: qui omnes possunt viros plures eximios, armis æquè atque consilijs claros magnísque officiis defunctos recensere: quos inter Nicodemus Montiottierius summi Pontificis in vrbe Nicensi magnus vexillifer: ad quam dignitatem eum animi robur ac prudentia euexerunt. Supersedeo, plura illustria harum familiarum monumenta referre; vt narrationis meæ telam prosequar. Iuxta heredes ita nominatos multa insuper pia dona ac legata pro animarum suarum solatio constituerunt. Et primò quidem sanxerunt, vt ea portio, quam filio suo pro Xenodochijs in Alpibus destinârant, promptè ac fide bonâ persolueretur: id quod accuratè fuit obseruatum. Paucis inde mensibus à condito testamento elapsis, senio confecti, decubuêre; vbi à Germano sacris supremis muniti, postquam filio suo iusserunt vale dici, mortémque suam denuntiari, vt suî in precibus meminisset, piè ac feliciter ad meliorem hinc vitam inter necessa-

riorum

riorum manus ac lacrimas emigrâ-
runt; quibus priùs feriâ adhortatione
bene viuere iussis, non secus ac Iacob
olim filijs suis bene precati sunt. Cre-
dibile quoque est, Germano ab ipsis
quidpiam fuisse testamento legatum,
quo eremi sedem Monasterio Taloiri-
ensi vicinam ædificaret: vbi veterum
anachoretarum more, post vitam diu
in plurium cœtu actam, se abdidit; vt
illic sibi vni magis vacare, sanctéque
mori posset: quemadmodum postea
euenit. Vide sis, quàm sæpe Devs ob
liberorum merita parentum saluti
prospiciat: vt S. Ambrosius obserua-
uit. a At non sic cum impiis & ingra-
tis agitur; qui proles suas à Dei ser-
uitio abstrahunt: hi enim, vt & ipso-
rum consilia non secus dissipantur, ac
atomi, quæ à ventis quoquouersum ia-
ctantur. *Non sic impij, non sic, sed tanquam puluis, quem proijcit ventus.* b

a *Tract. de Virg.* b *Psalm.* 1.

CAPVT XVII.

De felicibus incrementis geminæ domûs in Monte & Columnâ Iouis.

FACILE apparebat, vtramque hoſpitalem domum anno nongenteſimo ſexageſimo ſecundo exædificatam, cùm S. Bernardus vitæ ſuæ quadrageſimum tertium inchoâſſet, non tam Bernardi, quàm DEI opus fuiſſe. Tot enim inibi mira euenerunt, tanta bonorum vndique copia affluebat; vt auxiliarem DEI manum nemo non deprehenderet. Et S. Bernardus quidem inſtrumentum erat, quo Deus ad prodigia in horas patranda vtebatur: miracula verò ipſa inſtar tubarum erant; quæ peregrinos ex omnibus Europæ prouincijs, ad captanda DEI beneficia, euocabant. Adhæc peregrini omnis generis, magnates, nobiles, mercatores, Clerici, diuites, egeni, non aliter ac flumen quoddam auri &

& argenti ferax, affluebant; vt ædificium exornarent, finémque operi toti imponerent. Quin pia quædam æmulatio se ostendebat, in hoc publico bono iuuando: qualem olim Dauid in regni sui proceribus ac opulentioribus animaduertit, cùm apparatum pro templo, per Salomonem filium suum postmodum ædificato, conquireret. Nemo enim tam tenuis erat fortunæ, qui non vellet aliquid ad sacram hanc structuram contribuere: è quibus alij totas ditiones his Monasterijs assignârunt: alij domos, agros, prata, magnam argenti summam; alij monilia gemmeúmque ornatum, quin & templi pretiosam supellectilem contulerunt. Certè S. Ambrosius ne sacro quidem calici pepercit, cùm vidit miserorum redemptioni necessarium; quem redimendis captiuis diuendebat. Inter omnes autem, bene de his locis meritos, Dynasta quidam Anglus primas tenet, qui insigni munere ante obitum suum dictam sedem

locupletauit. Quòd enim fuiſſet ſingu-lari quodam à Deo beneficio illic affectus; viciſſim omnes ſuas facultates ei loco donauit, fundos, arces, iuriſ-dictiones, bona mobilia & immobilia, & inprimis locum ceteris inſigniorem, quæ Arx Cornuta dicebatur: & fortaſ-ſis ſe ipſum ſuperaddidit, vt holocau-ſtum abſolueret, arborémque cum fru-ctibus offerret. Tantus inſuper ardor, rem inauditam! hominum mentes ex-citabat, ac euſque impellebat; vt multi viri nobiles & ſui juris pro bene-ficiarijs & clientibus ei domui ſe man-ciparent, glorioſum ſibi rati, ſi ad Deum ac eius poſſeſſionem ſpectarent; vt viciſſim mutuo iure Deum poſſide-rent. *Glorioſum ac volupe eſt*, inquit S. Auguſtinus, *in Domo DEI ſeruum eſſe, etiam in compedibus.* Vnde patet, ni-hil ditius eſſe ac locupletius charitate, cui omnes opes tributũ pendunt. Ce-terùm inferiùs ſingulatim præcipuas poſſeſſiones, beneficia vtrique Xeno-

dochio

dochio attributa explicabo; cùm alia quoque admiratione digna commemorabo.

CAPVT XVIII.

De S. Bernardi felici obitu.

AMor diuinus, quíque diuino amore ſunt incenſi, nunquam interquieſcunt,

Ipſe alit artifices labor, accenditq; laborem.

Itaque S. Bernardus vbi vidit gemina Monaſteria & hoſpitales ædes ad culmen perductas, religioſámque diſciplinam in flore eſſe; non contentus, è duobus iugis dœmones proſcripſiſſe, eorúmque in locum Angelos fuiſſe ſuffectos; ipſe manu operi ſtrenuè admotâ, nihil non ad publicam frugem tentauit. In campum igitur prodit, & ſuperſtitioni vitiíſque tam acre bellum indicit; vt omnia hæc monſtra locum Euangelio cederent: ac videre

erat,

erat, hunc nouum Apoſtolum Satanæ imperium funditus euertere, Cruce Chriſti in omni circùm viciniâ defixâ. Alter Paulus hic erat, qui mortales omnes in animo ſuo complexus, in horas pro gloriâ Domini ſui, & animarum, quas parturiebat, ſalute, præ zelo moriebatur. Ac omnino difficile foret, ſtatuere, num eius oratio, an verò publicæ conciones plus ad reuocandos ab errore mortales ponderis habuerint; niſi malimus dicere, nunquam eum hæc duo arma diſiunxiſſe; ſed inter dicendum ardentiſſimè precatum fuiſſe, & inter orandum potentiſſimè perorâſſe. Quòd ſi qui eſſent obſtinatiores, aut quotquot ei pertinaciùs cogitarent obſiſtere; eos vi quadam altiore ac luculentis exemplis conuincebat. Magnos in hunc modum progreſſus aduersùs hoſtem ſalutis fecerat: quando ditione in Lombardiâ potitus, ſuperſtitione & erroribus tunc plenâ, iudicauit, magno poſterorum bono futurum, ſi à ſede Apoſtolicâ Or-

dinis à se instituti confirmationem obtineret. Atque idcirco Romam iter instituit: vbi ob suam virtutem celebris, voti sui compos efficitur; Summo Pontifice insuper ei pollicente, se in tam laudando negotio ipsi, vbi vsus exigeret, præstò & auxilio fore. Ita negotio confecto, cum Pontificio diplomate ac benedictione, domum repetit, ac reuersus, in Lombardiam se denuo confert, idololatriæ ac superstitionis, fraude Dæmonis introductę, reliquias profligaturus. Cuius conatibus adeò DEVS fauit, laborésque successu promouit; vt intra pauculos annos, quos ei studio impendit, totam eam prouinciam ijs sordibus expurgaret, Christíque fidem in omnem huc usque posteritatem stabiliret. Ad quod obtinendum non minùs vitæ sanctitate, probísque exemplis, quàm ardenti adhortatione disertus erat. *Semper linguam habens spiritu & sanguine Christi imbutam, vt in tabulis cordium æternitatis thema inscriberet.* vt S. Ambrosius

brosius ait. *a* Hanc eius contentionem Deus iñumeris miraculis adiuuit, quibus, ceu sigillo, prædicatio illius consignabatur. Hinc morbos curauit: multis loquendi facultatem, cæcis lumen restituit: mortuos ad vitam reuocauit: claudos ac mutilos in pedes erexit: lepram & paralysin ab animis & corporibus proscripsit, animorum simul atque corporum medicus. Tandem in hoc alienæ salutis procurandæ studio Nouariam, eiusdem Lombardiæ vrbem, peruenit, octoginta iam & duorum annorum, meritis quàm ætate grandior: vbi graui morbo correptus iacuit; qui æternam ei incolumitatem attulit. Cùm die quadam violentiùs eum febris diuexaret, inter ipsos mali vrgentis dolores S. Nicolai Diui sui vocem audijt, quâ DEI iussu, amanter eum compellans. *Serue DEI*, aiebat, *quoniam tam strenuè pugnâsti, cælum te ad coronam inuitat.* Quâ voce totus obstupefactus, indéque admonitus, laborum sibi metam im-

mine-

minere, séque gloriæ portam propiùs contingere, longè maiori alacritate ad supremum iter se parauit, ad quod singulis vitę suę diebus erat accinctus. Ergò, quoniam Archidiaconus erat, testamentum condit: quo bonorum suorum heredem binas hospitales domos in Monte & Columnâ Iouis instituit; Præpositísque sibi deinceps successuris ac Religiosis omnibus iniungit, vt Archidiaconos Augustæ Salassorum pro Fundatoribus haberēt ac agnoscerent, eósque, si illac commearent, vt tales domo exciperent. Postremò significat, velle se in Cathedrali templo Augustæ, aut certè in Monte Iouis sepeliri: quod tamen ob multas turbas exinde consecutas fieri non potuit. His ita constitutis, nihil cogitare, nihil loqui nisi de cælo libuit; vbi thesaurus & cor eius erat. Tum SS. Sacramenta incredibili pietate suscipit; omnésq; ad bene viuendum ac moriendum cohortatur. Inter hos animi, perpetuò ad DEVM eluctantis, impetus & oc-

cupa-

cupationes, cùm ad ſe SS. Angelorum legionem venire vidiſſet, à quâ honoris ergô, ad cælos deduceretur, antè beatâ morte obuius, eos præuenit, felicíque volatu cum illis ad DEI viuentis aulam contendit, pro tam diuturno fidóque obſequio æternis præmijs donandus. Obijt anno milleſimo, octauo, 15. Iunij die Veneris poſt feſtum SS. Trinitatis; quo heros hic inuictus cælos ingreſſus eſt dierum ac meritorum plenus, vt laborum mercedem acciperet. Quâ in re multa concurrerunt obſeruatu digna; quæ tamen lector è ſimplici narratione ſatis aſſequitur. Porrò exequiæ conceptæ ſanctitatis opinioni pares celebratæ ſunt; corpúſque in Monaſterio S. Laurentij humatum, quod hodie intra vrbis mœnia continetur. Eius ſepulchrum tot manifeſtis ac inauditis miraculis fuit nobilitatum, tantóque populi accurſu frequentatum; vt ſequenti mox anno 23. Maij ritu ſolenni fuerit Diuorum catalogo adſcriptus.

ptus. Quo facto sacrum eius corpus magno apparatu denuo exhumatum, loculóque marmoreo eleganter exciso repositum est; in quo velut honorariâ cathedrâ requiescit. Huc ex omnibus Prouincijs ingens peregrinantium multiudo confluit; erga quos se quotidie beneficum ac propitium exhibet. Constitutum quidem erat, vt Salassorum Augustam aut in Montem Iouis transferretur: sed videtur DEO aliud cordi fuisse; quandoquidem Monasterium ac hospitalium ædium Præpositi nunquam potuerunt sumptus præstare, translationi necessarios; siue quòd bella & turbæ publicæ obstarent; siue quòd eleemosynæ atque gratuitæ largitiones essent pauciores: siue denique DEO placuerit, serui sui sacris Reliquijs locum ac honorem absque vlteriori mortalium apparatu procurare. De duobus ac octoginta annis, quos Benardus vixit, duos & quadraginta in Archidiaconatu exegit; alios quadraginta, partim cum

Petro Archidiacono, partim in ſtudijs, & infantiâ conſumpſit. Nobis quidem non conſtat, quâ ætate Auguſtam ſit translatus: veriſimile tamen eſt, eum viginti quinque annorum fuiſſe: quo tempore credibile eſt, eum ſtudijs finem impoſuiſſe: & erat tempus illud matrimonio idoneum, quo illigare illum parentes volebant, niſi S. Nicolaus eius patronus ipſum eripuiſſet: à quo prædictum ei erat, tunc cùm futurus eſſet Archidiaconus, Dæmonis victorem fore: quemadmodum his verbis fuit per eum Diuum commonitus: *Bernarde, altos hoſce montes conſcendamus, iſtáque præcipitia ſuperemus: ita in fugam Dæmones conijciemus, Iouiſque ſtatuam & Carbunculum, qui Chriſtianis offendiculo eſt, comminuemus, quorũ loco domos hoſpitales & Monaſteria exſtruemus. Tu decimus incedes; neque tamen Dæmon tibi nocere poterit. Stolâ tuâ illum vincies, ſtatuámque in partes confringes: ac tandem Dæmones execrationibus diriſque deuotos in infimas montium cauernas* *able-*

ablegabis ad diem vsq; supremi Iudicij illic alligatos, ne cuiquam inferre nocumentum queant. a Hæc ferè verba Breuiarii sunt, è quo fide optimâ parique auctoritate eius vita desumpta est: Richardus enim Valdiserius S. Bernardi in Archidiaconatu successor, qui eo familiariter vtebatur, hæc eadem posterorum memoriæ reliquit. O quàm DEI vocantis nutus suaues simul sunt & efficaces! & quàm felices illi, qui vocanti obediunt! tam gloriosus Diuorum exitus facilè ostendit, quanti momenti illorum initia fuerint. Et quis, quæso, nunc aliquam S. Bernardi notitiam haberet; si mundi illecebras sectatus parentum suorum persuasionibus olim succubuisset? communi videlicet obliuione, quę omnem mundi gloriam absorbet, sepultus iaceret: dum contrà nunc in omnium ore versatur; ac præter gloriam, quâ in cælo fruitur, quòd mundum contempserit, ab vniuerso mundo celebra-

a *Ex Breu. Aug.*

bratur. Tanti contemptus fit etiam apud illos, quos contemptus ille spectare videtur. Ob hanc causam seruire, victoribúsque suis subiectus esse, mundus debet: cùm vicissim dominetur ac ius in eos exerceat, qui se passi sunt ab illo subiugari. At quàm crudeles inde sunt parentes illi, qui filiorum vitæ ac saluti se opponunt, eósq; periculis sempiterni exitij obijciunt; quod à tergo vocationis diuinæ desertores sequitur! Adhæc quàm prorsus cæci sunt; dum non vident, familiæ suæ decus à benedictione pendere, illis à DEO impertiri solitâ, qui promptè cum Abrahamo suos Isaacos immolant! Quantam gloriam toti Mentonianæ Nobilitati Bernardus conciliauit? quàm in Miolaniâ domo vel vna Margarita splendet? Quænam domus regia felicem se non reputaret, tale decus & præsidium se inter maiores suos recensere? Atque hæc omnia, vt summatim dicam, eò spectant, vt pateat, nullam esse viam tam compendio-

dioſam, ad certam gloriam pertingendi; quàm Deum ſequi, in quamcunque partem nos vocet. Id quod nemo negat, qui non pœnitudine ductus retractet: nemo eum fuit ſecutus, qui ad illam non euaſerit. Age igitur, anima perfecta, aggredere gloriam: cælúmq; ſuauiſſimo nardi odore, quo imbuta es, perfunde: dúmque illuc rarum aliquid & antehac non viſum infers, coronam ac præmium cape, nulli alteri hucuſque, quàm tibi conceſſum.

LIBER SECVNDVS VITÆ S. BERNARDI MENTONII.

De eius virtutibus, miraculis, & Xenodochiis.

CAPVT I.

De admirandis eius Virtutibus.

SI perfecti hominis animus, vt Romanus quidam Sapiens *a* ait, perspici posset, magnam initio admirationem, maximúmque suî amorem crearet; ac vt quemque haberet obuium, eum vtique ad suî reuerentiam excitaret, velut cuidam Diuinitatis imagini deferendam. Tantum scilicet splendorem præcipuæ quatuor virtutes, Prudentia, Iustitia, Fortitudo, Tem-

a *Seneca in epist.*

Temperantia afferrent. Modeſtia, dein, Religio, Magnificentia, Clementia, Conſtantia, aliæque virtutes, ceu bonæ mentis inſignia, ita animum irradiarent, oculíſque coruſcantem repræſentarent, vt nollent alio quouis oblectamento recreari. In quem autem rectiùs, quàm S. Bernardum hæc ſententia cadit? quis eo dignior viſu probiúſque omnibus naturæ gratiæq; donis inſtructus eſt inter eos, quos terra tulit? Connitamur igitur, in hac tabulâ exemplar animi omnibus numeris abſoluti exhibere; cunctíſque, quibus poſſumus, coloribus illuſtremus. Animus hic S. Bernardi eſt; qui, Solis inſtar cęlum oberrantis, in orbem vniuerſum virtutum ac prodigiorum radios eiaculatur, qui eius caput ambiunt. Illas in contextu quidem hiſtoriæ expoſuimus: Sed nunc ſeorſim ab alijs rebus conſiderandæ ſunt; vt vi ſingulari fortiùs noſtram voluntatem accendant. Vt igitur initium faciam, neque lectoris deſideria morer: exiſtimo,

mo, basin ac fundamentum totius operis ac perfectionis eius planè eximiæ, esse delectum laude dignum; quem in flore ætatis ac biuio sapientiæ faciebat: dum scilicet animum ad virtutis pietatísque studium tam cordatè adiecit, relicto ad læuam periculoso voluptatum lubrico, ijs ad DEVM verbis ex animo vsus: *Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam: mitte illam de cælis sanctis tuis, vt mecum sit, & mecum laboret.* a Ab hac enim tam deliberatâ electione, velut è seminario perfectionis admodum fœcundo, reliqua omnia germina vitæ fructuosæ pullulârunt: hæc viua radix fuit, quæ tantam arborem eduxit, in quâ, vt cum Daniele loquar, plurium vita versetur. S. Gregorius Nazianzenus non aliud habuit gloriæ suæ initium, quàm sapientiæ delectum, quam pro sponsâ sibi adsciuit. Salomon per istam eximiam vocem emersit: *Hanc amaui.* b Et ab eo tempore, quo S. Bern.

a *Sap.* 9. b *Sap.* 9.

Bernardus eâdem vſus eſt, cœpit emi-nere. Sapientia enim æquè ac Maie-ſtas in ipſo etiam ſuo exortu magnitu-dine præſtat. Magna inſuper virtus eſt & amor ingentis meriti, Sapien-tiam ac timorem Domini omnibus mundi opibus anteponere, & pro ſponsâ iam tunc aſſumere, cùm iudi-cium nondum eſt ſatis firmum, & vo-luptas fortiùs in nos agit. Atque hîc mortales voluptatibus eneruati ſuam felicitatem initio euertunt, dum me-liora non deligunt, ſed quæ blandiora videntur: quoniam iudicio per volu-ptatis illecebras corrupto, ſapientiam damnant; quæ olim eos coget, ſenten-tiam mutare, vbi in alterâ vitâ ad diui-num tribunal appellabit. Contrà verò viri ſancti felicitatis ſuę fundamentum ponunt, & ab exitio ſibi cauent, ceu foſsâ interiectâ, ne damnum aliquan-do accipiant. Quis enim eos queat irretire, qui ſanctæ intentionis alis in-ſtructi rectà ad DEVM, vt ſuum finem & centrum, euolant? Ex hac ergo tam

prudenti salutariq; electione, quam S. Bernardus instituit, DEI amorem cunctis mundi vanitatibus præferendo, primus fructus enatus est, ingens videlicet mundi omniúmque ejus promissorum contemptus adeò firmus ac generosus: vt nec dynastiæ, neque connubia, neque parentum blanditiæ, neque iuuentutis illicia, neque improbæ tentationes potuerint à cœpto cursu auocare. Certè Cæli ac Æternitatis spatia dimetienti, temporis ac terræ punctum minimum videbitur, aut potiùs in suo nihilo penitùs euanescet. In Bernardo ingens amor, quo in asperam Alpium solitudinem ferebatur, tam seria Episcopatûs Augustani repudiatio, abstinentia continua, paupertatis studium, acerrima corporis castigatio, setosi rigidíque cilicij perpetuus vsus, honorum fuga, metus ne agnosceretur, totidem sunt testes omni exceptione maiores perfecti contemptûs. Videri queat, S. Bernardum Burgundum, qui eum postea insecutus

est,

eſt, hoc ab iſto humilitatis axioma hauſiſſe: *Ama neſciri.* & illud: *Humilitas virtus Chriſti.* Sed omnium teſtimoniorum loco eius fuga, & prodigioſus pridie nuptiarum diſceſſus eſt. Quâ enim aliâ ratione rectiûs poterat mundum contemnere, quàm cùm ei ante oculos cum omni ſuo cenſu & apparatu obuerſabatur? quî potuit meliùs Mundi miſeriam oſtendere, quàm tunc eum fugiendo, cùm blandiſſimus apparebat; vltroneo potiùs exilio ſe condemnans, quàm vt ab eo captiuus detineretur? Nôrunt ſancti Viri, quid agere expediat; nihil deſerunt, vt omnia conſequantur: dum ſtultè arguti mundi ſectatores, omnia nihili amore perdunt; & dum inter ſomnia deliberant, vbi euigilârint, reperiunt, quod ſunt amplexi, vmbram ſomnij fuiſſe, quæ inter captantis manus in nihilum diffluit. Hic tantus omnium vanitatum contemptus ſemper murus & fulcrum fuit, qui diuinum amorem ex aduerſo propugnaret: qui amor a-

 nima,

nima, ſpiritus, & dux omnium actionum erat, & poſtremò amantium capita cunctis virtutibus coronauit, coronide perfectionis ædificio impoſitâ. Sanè ſi quis Diuorum potuit ita Dauidis voce vti: *Dilexi*, quaſi diceret: expleui legem, perfeci Euangelium: hic Bernardus Angelis dicere potuit, ad cælos euectus, & mortalibus adhuc in terris poſitus. Hoc enim amore, parentum, quorum vnica ſoboles erat, amorem ſuperauit. Hoc amore carnem, voluptates, honores, & ſeipſum tam heroicè deuicit, vt ad perfectum, & Euangelicum ſuî odium deuenerit. Huius amoris vehementiâ Infernum triumphauit, Dęmones in fugã egit; ac denique, quod de S. Stephano dicitur: a *In omnibus charitatem pro armis habebat, & per ipſam vbiq; vincebat.* Quis autem maior DEI amor, quàm eius causâ, inſtar Apoſtolorum, omnia deſerere? quàm inſtar Martyrum ſibi corporique ſuo per ſuî victoriam quoti-

die

a *S. Fulg. Serm. de S. Stephano.*

die mori? quàm quotidie pro animarum salute exemplo Christi se consecrare & cruciare? Quid de alijs diuini amoris ac Seraphici, quo ardebat, partibus dicam: qui eum per omnes DEI amantium gradus ad amoris culmen euexit? Ex hoc amore oratio & contemplatio semper ardens, inflammata, & maiori ex parte voti rea nascebatur: cui tantum temporis dedit, vt tota eius vita crederetur continua oratio esse, sacrúmque altare, in quo nunquam ignis diuinus deficeret. Sentiebat in illâ tantas delicias, tantúmque lacrimarum profundebat; vt credi posset omnes cælitum voluptates possidere. In officijs diuinis, in sacrificio, in Psalmodiâ, in precibus publicis, in supplicationibus animus eius ita erat intentus, ac in DEVM abreptus; vt Angelus veriùs quàm homo putaretur. Quoties cũ Moyse extensis in crucem manibus DEVM *in confractione* a inhibuit? Quoties obiecto orationis

a *Psal.* 105.

clypeo & accenſo ardoris ſui thure *Angelũ Exterminatorem a* à nocendi conatu ſtitit? Quoties ad cælos raptus eſt, velut alter Enoch aut Elias ignitæ pietatis curru euectus, & Spiritûs Sancti donis vt equis ſuauiter tractus? Eius in rebus cunctis aduerſis ac periculis ad DEI Matrem perfugium, fiducia in ope S. Nicolai patroni ſui collocata, admirandum auxilium, quod in ſuo diſceſſu, in ſuis pugnis, in morte denique ſuâ perſenſit, annon totidem ora ſunt, quibus incredibilis eius pietas prædicatur? Si oratio eſt charitatis in DEVM inſigne, ac nota, quâ ij agnoſcuntur, qui DEVM amant: de illius oratione iudicium feramus, quæ gratiâ & amore diuino, quo eius cor plenum erat, nitebatur. Porrò quoniam DEI amor ſanctus eſt & caſtus, Bernardus idcirco tantò magis in hac virtute excelluit vt Angelus, quantò magis in alterâ ad Seraphinos accedebat. Quantus caſtitatis amor in iuuene illuſtri, opulento, vnico, eleganti,

a *Sap.* 18.

cul-

culto, habili, cui omnia fauent, in flore ætatis, inter plausus, choreas, & vitæ delicias, voto virginitatis se obstringere? & mediâ nuptiarum pompâ omnibus elegantijs & voluptatibus valedicere, quas mundus idolorum instar adorat: vt in Religiosæ vitæ rigore Sapientiam sibi despondeat? S. Alexium celebrant, laudatur Iosaphat, aliíque similes. Ego neminem reperio Bernardo superiorem: quemadmodum nec Euphrasia, nec Icacia, nec Pulcheria, neque Marcellina Margaritam Miolaniam sponsi sui imitatricem antecedunt. Eius fuga opus est tam nobile & gloriosum, vt omnia Virginitatis rariora miracula in se complectatur. Quanto animo est vsus ad carnis tentationes edomandas, tuendúmq; lilium puritatis? quantâ securitate Dæmonibus insultauit? S. Thomas Aquinas, S. Bernardus, S. Franciscus quid in istâ causâ post hunc præstantius patrârunt? Eius corpus erat omnino victima expers maculæ, anima spe-

culum ſine labe, & mors via lactea puriſſima, quæ in cælum Bernardum extulit; vbi inter primos Agnum ſequatur, & canticum virginale concinat. *Gaudium Virginum Chriſti de Chriſto, in Chriſto, cum Chriſto, per Chriſtum, pro Chriſto*: vt S. Auguſtinus ait. a Vnicum eius exemplum ſufficiat, vt ſummam huic virtuti auctoritatem conciliet, ac nobili iuuentuti inprimis commendet: vti Margaritæ exemplum cunctis nobilibus puellis facem præferat. Quâ autem ætate magis neceſſaria nobis aduersùs laſciuiam remedia ſunt, quàm hoc noſtro æuo; quo videtur *Omnis caro corrupiſſe viam ſuam*? b Vtinam vtriuſque commendatio poſſit omnes ad integritatis amorem incitare, meritúmque perfectæ imitationis inculcare! Deinde abſtinentia inaudita, quâ ſeipſum totâ vitâ confecit, ac in Angelum transformauit: perpetuum ieiunium pane & aquâ definitum, humi cubatio, noctur-

næ,

a *S. Aug. de Virg.* b *Gen. 6.*

næ vigiliæ, cilicia tenero corpusculo loco sindonis adhærentia, rigor disciplinæ, pœnitentia tam austera, sanctus animi mœror, lacrimæ & quotidianæ sibi indictæ pugnæ, an nō fuerūt spinosæ sepes, cortices duri, aculeatæ puncturæ, quibus florem & fructum tam pretiosæ virtutis tuebatur? an non fuit margarita in suâ conchâ? an non hæc erant eximia sacrificia, DEO quotidie oblata in hoc templo, quod erat crystallo nitidius; in quo æditui vicem puritas, Sacerdotis partes amor diuinus, victimæ locum corpus virgineum & anima pura occupabat, Spiritus S. verò templi huius Numen & habitator erat? Viuit & æternùm viuet huius integritatis memoria apud omnes, qui illius exemplum æmulati; eandem aut sunt professi, aut deinceps profitebuntur. Sanè si nihil posset eam imitatione & amore dignam efficere; S. Bernardi commendatio sufficeret: quæ desiderio castimoniæ eos quoque esset exstimulatura, qui se totos mundi vanitatibus
 tra-

tradidêre. Hæc autem puritas faciliorem ei ad diuinam Maiestatem accessum conciliauit; vt idcirco è cælo multò largiores gratiarum ac beneficiorum imbres in se deriuaret: dictum est enim: *qui diligit cordis munditiem, habebit amicum Regem.* a Ex his itaque gratijs tantum animi, roboris, & constantiæ concepit, vt omnes suos hostes profligaret, & aduersus Dæmones in omni conflictu victor euaderet. Omnia erant metu exanimata; cælum ac terra conuelli videbatur; orcus armatus flammísq; horrendus, quas euomuit, caput in eum, ceu arietem intentabat. Verùm ipse solâ in DEVM fiduciâ armatus, eiúsque ope adiutus, omnem hanc irarum ostentationem & panicos terrores hostium irrisit: rectáque in eos progressus, vno vocis flexu prostratos aduersarios arce expulit. Si quisquam ostendit, *dilectionem esse instar mortis fortem, & duram instar inferni, æmulationem eius.* b certè

a *Prou.* 22. b *Cant.* 8.

certè Bernardus is fuit. Vi enim sui amoris mortem vicit, & æmulationis contentione aciem Inferni confregit. Mihi profectò in eiusmodi congressu & conflictibus iucundum est, considerare, quàm vitia sint viribus destituta, quantásq; vires magna virtus habeat. Accinamus illi: *Percussit Saul mille, Dauid decem millia.* a Hoc idem animi robur ac fiducia in DEVM sexaginta propè annis apparuit, quibus Augustæ mira patrando patiendóque viuebat. Si enim est aliquid, semel vicisse; omne tulit punctum, qui semper vincit, ac victorias tamdiu continuat, quamdiu hostis contendit bellum inferre. Quot trophæa erexit? quot labores subijt? quæ incommoda non est perpessus, in loco tam aspero, tempore tam diuturno, in corpore tam tenero? Si suma virium in eo consistit, vt hilariter magna pro DEO agas & patiaris; fuit Bernardus in hoc capite eximius. Adeò enim lætitia totum eius vultum

inun-

a 1. *Reg.* 18.

inundabat; vt nullus in eo alius affectus compareret. In ieiunijs, rigore corporis, tolerantiâ, rebus aduersis nunquam animi excidebat hilaritate: sed eam potiùs cum S. Andreâ in cruce reperiebat. Quantum est inter sanctos viros ac ceterum vulgus discrimen? vbi enim vulgò mortales dolore conficiuntur; hi præ gaudio triumphant: vbi lætitiæ se isti permittunt; illi mœroris causas desumunt. Intelligunt videlicet, probatum mel non nisi in emortui leonis rictu inueniri; ac dulcedinem non aliunde quàm ab amaro exprimi. *De tristi dulcedo: faui post fella gustantur: & ad nectarea pocula per calicem fellis peruenitur: & chorda plùs tensa plùs resonat.* a Sed nimis diu in medium adducere intermitto eundem amorem in proximorum auxilium se demittentem; postquam amoris nisu in cælum se extulit. Erat igitur Bernardi animus misericordiâ penitùs imbutus, oculi commiserationis sensu referti,

lingua

a *Tertul.*

lingua conſolatione plena, manus ad ſtipem paratiſſima, brachia laborioſa, viſcera condolentiâ enutrita, vt proximorum corporibus animiſque opem afferret. Hoc eius artificium, elementum, ac vita erat, prædicare, homines à vitijs auocare, docere, conſolari, ſuadere, totum mundum animo complecti, vt eundem ad inſtar S. Pauli ad DEVM aſportaret. Totus erat oculus, manus, vox, ignis, totus ſpiritus, totus lumen, vt eſſet omnia omnibus: quemadmodum ipſe totus fuit in DEO, & in ipſo DEVS. Omnino in eius vitâ comperio S. Pauli ſententiam locum habere, dum dicit, *charitatem neq; mori neq; excidere poſſe.* a Ecce! ſeptingenti anni ſunt, cùm charitatis impulſu has hoſpitales domos exſtruxit, omnéſque hàc commeantes in domo charitatis, in miſericordiæ domicilio alit: & continuâ charitate etiamnum vndecimus omnes viatores à Satanæ rabie & mortis faucibus tuetur. Sit ſanè Ioſephus

a 1. *Cor.* 13.

phus Ægypti Seruator dictus: at ego nihil verebor Seruatoris Alpium nomen S. Bernardo adſcribere. Vt hunc eius zelum & charitatem, quâ animorum bonum ac in perfectione progreſſum ſtuduit promouere, exactiùs agnoſceremus; neceſſe foret, nos è decem ſocijs, aliorúmque aſſeclarum eius numero fuiſſe: Erat enim *promens vbera, ſuſpendens verbera, exhibens ſe ſolicitudine patrem, compaſſione matrem*, vt S. Bern. loquitur. *a* Profectò præbuit vbera, & flagella ſuſpendit: ſanè omnes ad IESV cor & amorem adducebat; omninò erat apud illum Societas amoris, & Ordo Religioſus ab eo conditus è charitate & concordiâ erat conflatus. Neceſſe foret, eum vidiſſe in cathedrâ, inſtar Seraphini ardentem: oporteret, audijſſe contra vitia detonantem, ac pro virtute perorantem: opus eſſet, eius aliquando igne calefactum, ardentes carbones perſenſiſſe, quos in auditores, vt ipſe totus ſcin-

tilla-

a *in Cant.*

tillabat, ſpargere conſueuit; vt eos doloris, melioris vitæ, ac amoris igne accenderet. Neceſſe foret, inquam, oculatum fuiſſe horum teſtem, vt decenter poſſem eius in proximum charitatem verbis & chartâ explicare. Quâ in re tam magna geſſit; tot in Lombardiâ ad probiorem vitam inſtituit; tot perfectionis præceptis imbuit; vt abſque omni auxeſi poſſit Alpium & Lombardiæ Apoſtolus appellari. In hoc quidem munere pater & magiſter videbatur. Qui verò eundem vidiſſet in Xenodochio & vijs publicis viatores excipere, tractare pauperes, blandiri ægris, cibum potúmque illis parare ſimul & afferre; dixiſſet, matris eum perquàm ſolicitæ munus obire: tanta eius erat in omnes commiſeratio. Nunc ſi à pulpito & hoſpitali digreſſi, ſequi ipſius charitatem vſque ad Pontificum, Epiſcoporum, aliorúmque Præſidum præſentiam volumus: apparebit in illo tanta modeſtia, reuerentia, & humilitas; vt videri poſſi.

possimus, eius viri sanctitatem non satis nos inde agnoscere: qui coram illis adeò se demittebat, in quibus DEI auctoritatem venerabatur; vt Planetarum instar & stellarum, Solis lumen subeuntium, obscurior appareret. At meminerimus, Saulum tunc fuisse ad Regnum promotum, cùm paruî seipsum faceret; & illud paradoxum magni Cardinalis Cusani in mentem nobis veniat: quo dicitur necessariò fieri, *vt minimum sit maximum, & maximum minimum.* a Hæc sunt mysteria humilitatis, Christi virtutis, quæ vnà cum charitate diuinum currum efficit, quo Sancti ad cælestem triumphum euehuntur. Postremò pro hac virtutis imagine addam, quod Sarisberiensis Episcopus de quodam alio dicit: *In eo spiritus omnium Sanctorum fuit:* b Bernardum nimirum ex omnium Diuorum, quos imitatus est, virtutibus, fecisse se sanctum omnium Virtutum: eum Euangelij prædicatione fuisse

Aposto-

a *lib. de doctâ ignor.* b *In Polycart.*

Apoſtolum; in exædificatione Monaſteriorum & Xenodochiorum Patriarcham; in executione reuelationum, quas à S. Nicolao Patrono ſuo accepit, Prophetam, in Archidiaconi miniſterio Doctorem; in continuâ pœnitentiâ Martyrem; in omni vitâ puriſſimè actâ Virginem; in Ordine ſuo ac paupertate Religioſum; ac denique compoſitum ex omnibus: vt vnius vita poſſit omnium repræſentare. Et eſt profectò præ ceteris ad plures erudiendos ſufficiens: neque enim eſt ſexus, ætas, aut conditio mortalium vlla, quæ ſe non poſſit in hoc ſpeculo contemplari. Eccleſiaſtici per omnes partes perfectam habent virtutis ideam: Religioſi exemplar vota exactè obſeruandi: Nobilitas veræ nobilitatis excelſique animi effigiem: parentes affectionum ſuarum normam: ſtudioſa iuuentus continentiæ, modeſtiæ, ſapientiæ cum labore ac pietate coniunctæ imaginem: nobiles puellæ deſiderium diuinas cum Chriſto ſponſo nu-

priias

ptias paciſcendi; ſenes artem ac methodum bene moriendi: omnes demum pietatis guſtum, vitæ ſanctioris incitamentum, viámque, ad iter verſùs cælum rectè ineundum, probè ſtratam; ad quod contingere tanti támque ſancti herois humeris queunt. Hoc enim nos, qui Nani ſumus, in Cælitum ope auxilij habemus: vt eorum humeris elati, videamur, vt ait Petrus Bleſſenſis, longiùs quàm ipſi proſpicere: *Nos Nani, inquit, ſupra capita Gigantum ſtamus, & longiùs illis proſpicimus.* a Quin exiſtimo, me minimè falli, ſi Bernardum eorum numero accenſeam, qui totâ vitâ nunquam lethalem culpam admisêre: quidquid enim de illo ab ipſis incunabulis ad ipſam uſq; tumbam legimus, nihil præter ſanctitatem continet. Quæ prærogatiua eſt permagna: quandoquidem S. Scriptura clarè alicubi de alijs pronuntiat, quòd omnes excepto Dauide, Joſiâ, & Ezechiâ peccârint? *Præter Dauid & Eze-*

a *in Epiſt.*

Ezechiam & Iosiam omnes peccatum commiserunt. a Atque hoc est compendium, quod lectori offero: in quo facilè omnium ordinum documenta reperiet, cunctorúmque Diuorum spolia leget. Quam tandem coronam illustriorem possim ad finem Diuo imponere, illius inde patrocinium promeriturus, quàm illam, quæ ab Ecclesiastico mihi suppeditatur; si duas duntaxat voces immutem? b *BERNARDVS Richardi filius, Sacerdos magnus, qui in vitâ suâ suffulsit domum, & in diebus suis corroborauit templum. Templi etiam altitudo ab ipso fundata est, duplex ædificatio, & excelsi parietes templi. In diebus ipsius emanauerunt putei aquarum, & quasi mare adimpleti sunt supra modum. Qui curauit gentem suam; & liberauit eam à perditione. Qui præualuit amplificare ciuitatem; qui adeptus est gloriam in conuersatione gentis, & ingressum domûs & atrij amplificauit. Quasi stella matutina in medio nebulæ, & quasi luna*

a *Ecclesi.* 49. b *Eccli.* 50.

luna plena in diebus suis lucet, quasi Sol refulgens; sic ille effulget in templo DEI. Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ, & quasi flos rosarum in diebus vernis, & quasi lilia, quæ sunt in transitu aquæ, & quasi thus redolens in diebus æstatis, quasi ignis effulgens, & thus ardens in igne. Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso. Quasi oliua pullulans & cupressus in altitudinem se extollens: in accipiendo ipsum stolã gloriæ, & vestiri eum in consummationem virtutis, in ascensu altares sancti gloriam dedit sanctitatis amictum. Et circa illum corona fratrum quasi plantatio Cedri in monte Libano; sic circa illum steterunt quasi rami palmæ, & omnes filij Aaronis in gloriâ suâ.

CAP.

CAPVT II.

De plurimis per eum patratis miraculis.

GRanatus lapis, qui intra terræ viſcera efformatur in Paraquariâ, Indiæ Occidentalis Prouinciâ, quinquaginta nummûm aureorum millibus æſtimatus, (qui propterea non niſi à Principibus emi poteſt) cùm iam pyropis maturis, ceu totidem granis repletus eſt; impatiens tenebrarum, ac dedignatus, tantum theſaurum latere mortales, è loco ac rupe ſuâ tanto boatu erumpit, velut bellicum tormentum fuiſſet exploſum, ac tonitru fulmine ſe exonerâſſet: atque in hunc modum ſimul mortalibus ortum ſuum ſignificat, ſimul pulchritudinem ſuam patefacit. Idem videtur Deus in Diuis patrare: poſtquam enim illorum animos pretioſis donorum, gratiarum ac virtutum eximiarum

gemmis

gemmis impleuit: miraculis deinde illis tantum ſplendoris ac famæ conciliat; vt mortales in admirationẽ rapti, ad eos vti diuina ſpectacula accurrant, DEVM in Sanctis ſuis, & hos in DEO ſuo mirati. Quemadmodum enim dictus eſt *Deus mirabilis in Sanctis ſuis*; a eâdem ratione dicitur Sanctos facere admirabiles. Porrò ſi verum eſt, virtutem eſſe gloriæ fundamentum, ac ſæpe vitæ ſanctitatem & miracula inter ſe reſpondere, parique paſſu ſe comitari, dicere auſim, S. Bernardum, ſicut eſt aliquis in ſanctimoniâ Phœnix, ita miraculorum celebritate eſſe ſingularem. Illorum ingens eſt numerus, vti ex actis patebit: neque tamen alia ſelegigimus, quàm quæ ratione nullâ impugnari queunt: eáque ſunt è commentarijs Richardi Valdiſerij Archidiaconi Auguſtani, qui fuit S. Bernardo familiaris, noſtríque temporis induſtriâ deſumpta: quod nimirum reliqua omnia & innumera cum ipſis commentarijs

a *Pſal.* 67.

tarijs & autographis vorax flamma, aut obliuio per ſupinam conſciorum negligentiam aboleuerit. Vetera miracula à Valdiſerio recenſita, ſunt viginti nouem; reliqua nos contulimus. Ceterùm tam è priſcis, quàm recentibus intelligi poteſt, quantis beneficijs Deus hunc Diuum ornârit, dum ſeptingentorum annorum ſpatio continuis eum prodigijs nobilitauit: ex aliâ verò parte, quantâ fiduciâ & pietate deceat eius opem implorare, qui tanto apud Regem ſuum loco eſt. Non allaboraui ea, in locos communes redigere, ne quid eorum gratiæ detraherem, aut geſtorum ſeriem interuerterem. Illa igitur ordine ſubtexo.

Prodigiorum initium ab ijs faciemus, quæ DEVS ad gloriam ſerui ſui in terris vulgandam molitus eſt, miraculo tanto maiori, quantò plurium teſtium fide dignorum auctoritate comprobatum eſt. Nobilis matrona in Lombardiâ, Maria Gingueſia dicta multos annos cum marito ſuo ſine prole tranſegerat: quæ certior facta, S.

Bernardum illàc transiturum, piéque persuasa, illum à DEO submissum fuisse, vt, quâ valet apud eum gratiâ, sui se voti damnaret; desiderium suum ei aperit, tantâ reuerentiâ simul ac fiduciâ, quantam percepta de S. Viri meritis notitia in eo necessitatis articulo dictare illi potuit. Tum S. Bernardus, vt nihil ei fuit humilitate potius, respondit, DEVM suas, vt miseri peccatoris preces tanti minimè facturum, vt earum gratiâ miraculũ patraret. Nihilominus, ne humilitas eius charitati obstaret, tandem adiunxit, DEVM feminæ fidem eo, quod postularet, beneficio compensaturum esse. Interea aliquantum temporis post Bernardi discessum abierat, quo matrona illa sibi persuasit, propediem promissum ab eo munus à DEO se consecuturã. Sed post intellectam eius mortem tantopere veteri suo desiderio vrgebatur; vt ad eius sepulchrum contenderet; vbi querelas suas Diuo exposuit, magnâ submissione ac reuerentiâ aspersas; dum

eum obteſtatur, ne fidem falleret, tunc maximè, cùm excuſare ſe nequeat; vt qui extra omnem modò aleam poſitus apud DEVM plurima poſſit. Vix annus exinde abierat: cùm illa eximiæ formæ filium enixa eſt: qui ipſis vitæ ſuæ initijs tam feliciter eſt vſus; vt intra breue tempus dignum tali parente, cujus precibus erat in lucem editus, filium ſe præſtaret. Omni quippe carne, ouo, ac lacte abſtinuit, incredibili etiam gaudio in hoc viuendi rigore geſtire viſus. Mortales vulgò creduntur, liberis ſuis aliquid de ſuâ indole communicare, quod apud illos in naturam tranſeat: & omnino cum eiuſmodi propenſionibus naſcuntur, quæ ab ipſis incunabulis eos ad honores, opes, vanitatem, & voluptatem ferant. At Sancti, ſi quandoque parentibus à DEO prolem impetrant; cupiunt eos fieri ſibi ſimiles, hoc eſt, Sanctos & DEI ſeruitio addictos. Sufficere hoc prodigium in hac materiâ poſſet, neque ſolicitè alia charitatis eius documenta,

quantúmque illius preces valerent, afferenda; ſed hoc Diui honori, gratíq; hominis ſtudio obeſſet, qui nihil tantopere curat, quàm vt illius merita publicentur, cuius in ſe propenſam voluntatem animaduertit. Primo itaque alterum adiungam, matronæ cuidam factum, quæ quòd eſſet eiusdem cum priori conditionis ac patriæ, à Diuo ſimilis propè beneficio in cæco filio fuit affecta. Hæc igitur matrona etſi probè perſpectam haberet viri ſanctitatem, ad eum tamen accedere, forſan præ reuerentiâ, non audebat; aut certè quòd non ignoraret, feminis aut nullum aut perdifficilem ad eum patere acceſſum. Theoduli ergo Sacerdotis operâ in conficiendo illo negotio vſa eſt: qui nihil prætermiſit, quod inducere Bernardum ad matris voto & filij neceſſitati ſuccurrendum valeret. At ille id maximè agebat, vt eiusmodi à ſe negotium remoueret, quod credebat, ſuæ humilitati nimiùm adverſari. Poſthæc mater quoque

que ſuperueniens tantum lacrimis, vti & Sacerdos rationibus, effecit, vt Bernardus coactus fuerit, aliquod ſuæ ſanctitatis ſpecimen dare; dum cæco puello ſigno Crucis ſupra oculos eius efformato viſum reſtituit.

Nunc ad aliud gradum faciamus, quod eſt à priori in hoc diuerſum; quòd Bernardus ſponte ſuâ id ſuſceperit, deſiderio publicæ neceſſitati ſubueniendi inſtigatus: & in eo, quòd eius ſanctitas tantò fuerit admiratione dignior, quantò fructus miraculi in plures redundauit. In eâdem Lombardiæ viciniâ ſubitò viſa eſt tanta locuſtarum copia, vt intra breue temporis interuallum agri omnes ſqualerent. Iámque malum eò proceſſit, vt poſt fruges omnes & ſata in flore depaſta, arbores inuaderent; poſt has in homines & bruta inſilirent; iámq; nemo auderet ſe viæ committere. Quæ gentis calamitas adeò S. Bernardi animum commouit; vt quantumuis cuperet ſolus vitam & ignotus agere,

eò abire decreuerit. Iter ingressus cùm locum attigisset; statuit suadere incolis, vt diuino quodam artificio vterentur, quo plerumque se patitur diuina bonitas flecti, vt sæpe fuisset ipsemet expertus. Ego, aiebat, paucula dono, vt multa recipiam: ego, vt homo illi largior; ille vt Deus me remuneratur. Hinc auctor vobis sum, vti DEO promittatis, proximâ messe certum frumenti modum pro stipe vos in egentes distributuros; si quidem videre mali huius finem, & copiosam referre messem vultis. Ciuibus ad eam orationem annuentibus, res è voto ita successit; vt omnia promissa, quæ DEI nomine Bernardus illis fecerat, exactè DEVS præstaret.

Non possum tacere beneficium, quod Sacerdos quidam, Cyprius gente, precibus S. Bernardi obtinuit, vt id pluribus prodesset. Is nescio quo casu mutus euasit: quod etsi magno illi esset incommodo; nihilominus ex eo sibi mali sensum leniebat, quòd co-

naretur id potiùs beneficij loco habere, sibi à Dei prouidentiâ immissi. In quâ calamitate, quam ceteroquin felicitatis loco ducebat, id affligebat, quòd facere Sacrum neque pro gloriâ Dei, neque pro plurium salute posset, quibus credebat se obstrictum, cupiebátque par pari referre. Ergo in eum finem ad Diui tumulum concedit: quo loco loquendi facultatem copiámque sacrificandi recepit.

Quidam ex alto loco, vbi indormierat, præceps grauiter lædebatur: inde ad Diui patrocinium confugiunt; qui miserum ita sibi ex integro restituit, qualis ante lapsum fuit.

Alius maiori incommodo affectus, ossa quoque confregit; etsi lapsus esset minùs periculosus: qui tamen non ad aliud remedium festinauit, quàm vt pro recuperandâ valetudine familiares sui Diuo supplices fierent: cuius beneficio conualuit.

Sed ad præstantius bonum nos conuertamus, quàm hactenus recensita

fuerunt. Credas, Sanctos dum seipsos DEI amore deseruerunt, suámque voluntatem cum DEI nutu permutârunt, DEI eiúsq; voluntatis possessione obtinuisse, DEO ita illorum liberalitatem compensante: prout nobis oraculo Spiritûs sancti promissum est: *Voluntatem timentium se faciet.* a Vnde prudenter colligimus, non tam magnopere esse mirandum, Sanctos naturæ imperare; quando is ipse, qui naturam illis contulit, eorum voluntati se conformat, nihil à suâ dissentienti. Quod omnibus Diui huius miraculis demonstrari à nobis potest, sed illo imprimis, quòd Nouariæ cum puello contigit, vsu pedum, manuum, oris, oculorum destituto; qui prudentium quoque virorum iudicio mortuus potiùs, quàm viuus credebatur. Vix autem persolutis ad Diuum pro illo precibus, illico videre, loqui, incedere, palpare cœpit, vndequaque curatus. Quod miraculum homini, suis momentis illud expendenti, viri admirationem pariat: etsi ij, qui

DEI

Dei omnipotentiam, studiúmque, quo Sanctorum suorum honori prospicit, agnoscunt, minimè mirentur: nihilominus non possum non sequens factum admirari. Si enim verum sit, hominem solum posse diuinę voluntati se opponere; quemadmodum fides, quam de hominis libertate habemus, dubitare nos vetat: dubio procul maius prodigium erit, si Rex aliquis, qui scit Regem se esse vtpote à nullius, si velit, quàm Dei arbitrio pendentem, viri Ecclesiastici voluntati se permittat; qui nullâ re aliâ quàm virtute suâ spectabilis est: quàm totam naturam, quæ sæpius flagitiosissimis mortalium ex parte obtemperat, Sanctorum nutui seruire. Henricus Lombardiæ Rex nouis tributis ac oneribus ciues suos premebat. Eum ergo Bernardus adit, medicinam ei malo facturus, qualem morbus tam periculosus potuit à tali medico sperare. Rex etsi ferocis à naturâ ingenij, ac mordicus conceptæ semel

ſententiæ tenax multùm tamen ei honoris exhibuit, auditíſque Bernardi conſilijs, exinde maiorem longè publicæ vtilitatis rationem, quàm priùs, habuit, præciſis omnibus auaritiæ inuentis. vnde ſubditi eius cauſam habuêre, DEVM laudandi, quòd Sanctis tantum poteſtatis dediſſet, peccatores & priuati commodi amorem coërcendi, cuius inſtinctu omnia noſtrâ tantùm, causâ facimus. Demum vt nihil omittamus eorum, quæ illius in cælo triumphum omni ex parte poſſint ornare; videamus, quâ ratione DEVS non modò Sanctos omnium earum rerum, quæ ratione carent, & hominum, qui ſunt veri eius poſſeſſores, dominos & victores conſtituerit; verùm etiam Dæmones diuinæ voluntati rebelles, etſi eius iugum excutere non poſſint, illis ſubiecerit. Richardus Valdiſerius Archidiaconus Auguſtanus hîc de ſeipſo dicit, ſe cum quibuſam fidioribus probíſque amicis mari in Palæſtinam vectum, tantâ tempeſtate fuiſſe iactatum,

tum, vt confracto malo, vela lacerârit, prorámque demerſerit, ingenti ac periculosâ nauigantium perturbatione, & multis vtili, qui S. Bernardi merita haud aliter, quàm per fuſas ad eum ab Archidiacono preces agnoſcere potuiſſent: qui rogatus mox tempeſtatem ſedauit, omniáque ſuo loco reſtituit, miraculo planè ſingulari; illico enim confuſas dolentium voces audierunt, qui contentiosè vociferabantur: fugiamus hinc, fugiamus: non enim reſiſtere valemus Bernardo Mentonio Archidiacono, magno Eccleſiaſtæ, capitalique hoſti noſtro, qui nos à Monte Iouis expulit: citò nos hinc auferamus, ne nos ad Inferos ableget.

Finem dicendi non inueniremus, ſi vellemus monumentis eiuſmodi ceu teſtibus poteſtatem illi à Deo traditam confirmare. Citiùs dixerimus, eum in cuncta jus accepiſſe, quàm vt videamur quidquam in dubium vocare, dum nos in eâ poteſtate miraculis comprobandâ deſudamus. Veruntamen

men plurium pietati ægrè faceremus. qui vehementer cupiunt, exactam de viri tam sancti miraculis notitiam vulgari. Intueamur ergo, num tempus ac tempestates, æquè vt cetera natura, eius dicto ac voluntati fuerint obedientes.

In Lombardiâ quidam S. Bernardo perquam deuotus, cùm videret grauem tempestatem terris suis tantâ strage incumbere, vt videretur haud multò pòst omnibus vastitatem illaturam; nihil habuit virium aut consilij, quod temporis iniquitati aut diuinæ justitiæ obijceret; quæ hoc flagello ad irrogandas mortalibus pœnas vtebatur. Quare constituit precibus clientelæ D. Bernardi se suáque committere, ratus, DEVM nocere homini nō posse ad tam chari sibi capitis opem confugienti. Res mira! tempestas, totam reliquam viciniam depasta, Bernardi clientis possessionibus pepercit.

Pia femina, Camilla nomine, oculorum vsu priuata, ope Sancti desidera-

bat

bat visum recuperare; hinc ad eius tumbam duci se curat, malúmque suum ei questa, ope Diui petit à Deo exaudiri. Quæ quidem tunc postulati sui non compos, nihil tamen de fiduciâ perdebat. Cùm autem domum reduceretur, in viâ recipit, quod ponè sepulchrum consequi non potuit; vt interim eius fides & prompta DEI nutum sequendi voluntas exerceretur.

Verùm pergamus, consideremúsque, num Diui charitas & liberalitas tanta sit, vt improbis æquè ac probis ad se pateat aditus; & num vni vt alteri faueat. Credo equidem, huius Diui cor fuisse à magnete contactum: ex vnâ enim parte bonos attraxit, ex alterâ malos repulit. Quidam fœnerator mentis excæcatæ, quòd auri argentique æstimatio & amor oculos illi erueret, eò maiori iniuriâ Diuum appetijt, quò magis conabatur eius memoriam & merita colere. Is aliquando nescio quo stimulo impulsus in eam mentem venit, vt cogitaret ad eius tumulum

argenti libram ſuſpendere, perſuaſus fortaſſe, æquè poſſe facilè Diuum ſuo argento capi, quàm ipſe pateretur ſe ab aliorum nummis corrumpi. Sed Sanctus, qui in familiari olim ſermone atque congreſſu eiuſmodi ſanguiſugas damnabat, neque poſt mortem voluit, eorum, vel veriùs aliorum, ſanguine nutriri. itaque argentum procùl ſemper à ſepulchro reiectum inueniebatur: videbatúrque non alium in finem affigi, quàm vt denuo decideret. Tandem omnino fuit remotum: didiceruntque ceteri, Deo ac ſanctis nihil iſtorum munerum offerre.

Si conſignare narrata prodigia vltimo quaſi ſigillo velimus; ſufficiat, poſtremo loco poſt omnia miracula illud afferre, quod in hac materiâ primas tenet, quódque tantam auctoritatem Diuis in cælitum numerum adſcribendis confert, vt non ſine magnâ causâ Breuiarium & Martyrologium ſingulariter meminerint, tres mortuos à S. Martino fuiſſe ad vitam reuocatos. Infans

qui-

quidam jam è miserâ hac vitâ ad meliorem emigrârat: tum pro eo ad S. Bernardum preces sunt fusæ, matérque mox filium è mortuo viuum in manus sumpsit, eâ lætitiâ, quæ in hoc articulo potest in matrem cadere: dum eum denuo recuperauit, quo nihil habuit in viuis charius.

Proba matrona aurium vsum antè amissum post preces obtinuit, ad S. Bernardum profusas.

Senex item oculis in extremâ ætate captus, meritis S. Bernardi iterum videre cœpit.

Vir nobilis, ditionis dominus, cui à S. Agathâ nomen est, comitiali morbo correptus, Diui sepulchrum adijt, vbi post peractas preces conualuit.

Femina miserè articulari morbo manibus pedibúsque excruciata, eius ope manuum pedúmque sanitatem consecuta est.

Erat illud imprimis admiratione dignum, & multis consolationi, quod quamuis febri laborarent, ad S. Bern-

ardi

ardi tamen ſacram ædem in Monte Iouis ſitam ire ſuſtinuerint; vbi votis ad Diuum conceptis, pro pretio itineris laborioſi ſanitatem retulêre.

Publicus quidam Notarius, vir diues, diu malo dentium laborabat; cui cùm remedium adhibere nullum poſſet, magnâ inquietudine diſtinebatur. Ergo ſtatuit, liberali ſtipe meritíſque S. Bernardi valetudinem impetrare: oblatíſque 28. ceræ libris viciſſim omni dolore leuatur.

Juuenis Ticinenſis malè corrupti ac prorſus flagitioſi ſubita mutatio, S. Bernardi patrocinio facta, ſemper mihi è præcipuis eius miraculis viſa eſt. Indubitatum quippe eſt, juuentutem calore ſanguinis efferueſcentem, atque cupiditatum, quæ adhuc indomitæ recentes in hac ætate vires habent, violentiâ abrepti, accedente vitiosâ libertate, quam mundus illi obtrudit, ita ſolere frenum ſuis appetitionibus, ac licentiam voluptatibus permittere; vt etſi omnes DEI ſerui, & alienæ ſalutis

amantes

amantes se interponant, vix possint vel vnius cursum sistere: id quod facilè in hoc juuene videre fuit. Eius parentes quotidie de malè morato filio totidem fastidia capiebant, quot sperabant gaudijs se cumulandos; quibus parentes ita sæpe excæcantur; vt necesse sit, Deum talibus interuallis vti, vt eos ad officium reducat, doceátque, amorem ac obsequium, quod primo loco Numini debent, non esse ab ipsis in postremis habendum; vt inordinato liberorum amori indulgeant. Parentes igitur, cùm efficere apud juuenem nihil possent, ac preuiderent, eum pessum & ad exitium ire, quod non nisi pœnitudine possit redimi; eius conuersionem S. Bernardo commendârunt. Id quod parentibus documento sit, maiorem sibi curam de liberorum salute, iisque altè in cælo collocandis esse habendam; quàm quâ ratione illis honores, opes ac voluptates, ad æternum sæpe ipsorum interitum procurent. Ceterùm S. Bernadus adeò animum

nimum ingeniúmque degeneris filij immutauit; vt in hominem mitem, tractabilem, prudentem, modestum & in negotijs gerendis circumspectum euaderet.

Splendor miraculorum ab hoc Diuo editorum ita omnium, qui finitimas ditiones incolebant, oculos detinebat, vt visus sit DEVS in hac viciniâ eum hoc fine nutrijsse, vt eorum negotia, & publicas necessitates, singulari ope gratiáque, quam in cælo suâ sanctitate fuit apud DEVM promeritus, juuaret. Vrbs Ticinensis immani peste exhauriebatur: neq; aliquod infortunij genus, jactura & calamitas fingi potuit, in huiusmodi DEI castigantis flagellis obuenire solita; quæ non dici posset Ticinenses ciues diuexare. Postquam autem hi voto ad S. Bernardum facto munus addiderunt, illicò malorum finis insecutus est.

Vercellis erat vir pius ac Religiosus aliquamdiu graui capitis dolore excruciatus: qui ope Diui imploratâ, conualuit.

Eandem gratiam S. Bernardus cuidam Abbati ad S. Andreæ Vercellis præstitit, qui tam diuersis ac frequentibus morbis inuadebatur; vt nunquam lectum desereret, quin confestim repeteret: quod incommodum muneris sui rationem ei perdifficilem reddebat, totum sibi vindicantis: cui tamen vt vacaret, vt maximè vellet, nullas potuit à morbis inducias impetrare. Inde causam habuit, sanitatem à Diuo postulandi, quâ ad aliorum potiùs quàm suum commodum vteretur. Ac preces fuêre tam felices, vt à sancto, quod voluit, emendicaret. Par necessitas Turinensem Archidiaconum à templi accessu arcebat, colicâ laborantem: hinc ad eum se vertit, qui tam feliciter omnis generis morbos curaret; & mox sanitate donatus est, quâ suæ simul pietati ac muneri vacaret.

Suburbium Biellense flamma corripuerat, sensim domos depascens: fuítque tam præsens discrimen, vt omnium sententiâ paulò pòst ciuitas tota cre-

dere-

deretur in cineres redigenda. Nimirum ita ſumus affecti, vt nunquam Dei memoria mentem ſubeat, quàm cùm triſtior caſus nos vrget. Hi quoque poſt aquam vltimum remedium à Diuo petierunt; qui quamprimùm flammæ & lacrimarum omnium curſum ſtitit.

Vineas illius Monaſterij, in quo ſacrum eius corpus aſſeruatur, grauis tempeſtas peſſimè afflixit; vt crederetur, actum de vindemiâ eſſe: vbi autem ad eius SS. Reliquias ſe verterunt, præſentem opem ſenſerunt: nam poſtridie manè omnia eſſe ſalua, compertum eſt.

Cenſeri queat hic Diuus tempeſtatibus ac elementis juratum bellum indixiſſe; eorúmque vires eſſe longè inferiores, quàm vt eius volũtati obſiſtant: nam poſt ſubactos ignes, aquas aggreſſus eſt.

Vndarum eluuies tanto impetu è proximorum montium altiſſimis iugis præcipitabat, in Chamfernain villam

lam effusa, vt omnia viderentur fundi-
tus euertenda. Fuit igitur ad S. Bern-
ardum, ceu alterum Moysen, accursum:
qui tam potenter vndis imperauit; vt
ei obsecutæ, loci incolis plus emolu-
menti ad agros & sata attulerit, quàm
metûs creârit.

Si nunc velim hîc ordine percensere
energumenorum syllabum, qui liber-
tati sunt potentiâ illâ restituti, quam
seruo suo DEVS tradidit; eorum otio
abutemur, qui volent S. Bernardi mi-
racula perlegere. Sufficiat dicere, Dæ-
mones ad eius tumbam cohorruisse,
& actos in rabiem fuisse, malo suo do-
ctos, se in S. Bernardi meritis nouum ac
crudelius supplicium experiri, quàm
sit illud, cui ob suam rebellionem
sunt addicti: maluerúntque captâ pos-
sessione excedere, quàm diutius retine-
re; dum cogerentur immane tormen-
tum perferre. Vltimus penicilli du-
ctus, quo Richardus Valdiserius hanc
viuam DEI imaginem depingit, in
multorum vsurariorum conuersione
finitur:

finitur: quæ mihi tam operosa videtur, vt non possit esse in quouis alio peccato difficilior: si consideremus, hoc hominum genus videri morbo quodam propè incurabili detentum: cùm videamus, plerosq; ita esse argenti amore irretitos atque succensos; vt malint Dæmonibus morituri in prædam cedere, quàm vt opes alienas ijs reddant, qui suâ paupertate ipsos ditârunt.

Non possum non diuinæ bonitatis liberalitatem admirari, quæ pauculorum obsequiorum, ab amicis suis sibi præstitorum obliuisci nequit: quod satis in huius Diui vitâ apparet. Videtur enim DEVS voluisse in animis nostris pietatem cultúmque, tanto viro debitum, tam continuis miraculis excitare; quæ à tot annis in hoc vsque tempus pari semper frequentiâ propagantur. Quódq; maiorem mihi admirationem facit, videmus, nostri ac præcedentis seculi prodigia esse primis memorabiliora: velut in quauis re adultior ætas plus vigoris juuentute ac

primis

primis initijs haberet. Atque hinc eſt, quòd miraculum anno 1559. patratum, & trium fide dignorum teſtium, Humberti Aurillonij, Decuriani aliter dicti Mauritij Aurillonij & Mauritij, Mottierij illinc, vbi, quæ dicemus, geſta ſunt, oriundorum aſſenſu comprobatum, videatur, alijs omnibus eſſe luculentius. Si vnquam Devs naturam mortales præceptis ſuis refractarios Diuorúmque contemptores excitauit: hoc certè anno illam obarmauit. Quidam Aurillonius nomine è villâ Court dictâ Parochiæ Tonoſanæ, pridie S. Bernardi deſectum fœnum cogitabat ipſo feſto die domum vehere: etſi pagus ille hunc diem feriatum haberet. Sed vicini tam improbum facinus minimè ferendum cenſuerunt: quare illum admonent, ei ſufficiat modò, quòd in cumulum congeſſiſſet, non ſine reuerentiæ pietatíſque ſancto Bernardo debitæ neglectu: cùm præſertim ſerenum tempus diutius videretur perſtiturum, eíque ſpem faceret, commodè

poſtri.

postridie id opus conficiendi. Verùm miser adeò id fixum habebat, vt statuerit, omnia perdere, vt fœnum suum tecto inferret. Eóque fuit amentiæ prouectus, vt diceret, quidquid S. Bernardus aduersùs se maleficij moliretur, se tamen idcirco nō omissurum, quod facere decreuisset. Rem miram! indulgendum hîc admirationi esset, vt tam luculenti prodigij consideratione pasceremur; nisi breuitas obstaret. Fœnum vix in prædio fuit accumulatum; cùm tempestas pluuia, grandini permixta, superuenit, magnáque vi in fœnile coloni grassatur, fœnum & pecus omne absumit, & quidquid potuit in partem huius sacrilegij venire: quin signa diuinæ justitiæ in terrâ reliquit, quæ possessionum eius fundo erat attributa, perpetuâ in eam sterilitate inductâ.

Sensim ad nostra tempora deuoluimur; quæ efficiant, vt oculos tantò magis in S. viri gloriam intendamus ac in eum pij scimus, quantò magis decet

nos

nos ea beneficia gratis animis agnosce-
re, quorum nos quoque participes red-
dimur. Anno 1617. mense Februa-
rio horrendum incendium, in oppido
Montey Valesiæ ditionis exarsit, tan-
táque celeritate domos corripuit, vt
breui spatio omnes essent exurendæ.
Multi probè callebant, neminem posse
flammas D. Bernardo tempestiuiùs do-
mare. Illi ergo pollicentur, voto se ipsi
fore obnoxios, quod essent confestim
persoluturi, cùm primùm desineret
flam̃a grassari. Mox ventus ciuium
precibus, & D. Bernardi imperio mo-
rem gerens flammam ab oppido auer-
tit: quódque in tanto miraculo am-
pliùs fuit admirandum; ignis ædem
illam intactam præterijt, in quam col-
latitiam stipem, D. Bernardo per vo-
tum promissam intulerant, etsi inter
ardentes domos mediam. Post hæc
omnes promissa præstiterunt, & pro
publico animi grati monumento, in
Xenodochij ac Monasterij S. Bernar-
di Maioris acta retulerunt.

Et vt ab igne non discedamus, qui D. Bernardi coronam illustrat; ad aliud miraculum, priori simile transeamus. Ignis oppidi cuiusdam in eâdem ditione vltra Martignium ędes omnes occupauerat anno 1614. 4. Maij; neque pro stragis monumento aliud quàm stantes aliquot murorum tractus reliquerat: inde in villas supra oppidum sitas incidit. Tunc femina quædam conspicata flammam suo iam horreo imminere, votum Diuo edit, ac simul persoluit: quo facto ignis nihil vltrâ desæuijt.

Semper cuperem in hoc igne versari, vt illic, ceu Moyses, DEI ac Serui sui miracula contemplarer. In S. Bernardi commentarijs ac documentis anno 1619. exhibitis reperi, ignem à modicis initijs in siluâ oppidi S. Petri in Monte Jouis sensim vlteriùs serpentem, tandem in pomarium lectissimis arboribus consitum illapsum fuisse. Ea vastatio loci incolas grauiter affecit; maximè quòd sentirent, se

quo-

quoque malo illo tangi ob amorem, quo in horti illius herum, varijs beneficijs de se bene meritum, ferebantur. Igitur communi voto decernunt, supplices ad templum in Monte Jouis positũ se ituros. Statim exinde in se flamma resedit, ac spargere incendium desijt.

Anno 1620. Ignis tribus in locis domum Caspari Jeu Friburgensis ciuis inuaserat: qui vbi vouit, se peregrè ad Montem Jouis profecturum, sine morâ flamma nemine sopiente extincta est: quemadmodum videre est in tabellâ in templo hospitali S. Bernardi affixâ pro grati animi reíque gestę ac publicè approbatæ testificatione.

Propè aliud agentes ad annos nobis vicinos venimus: quo tempore patrata miracula nobis debent maiora videri, gratiorémque in nobis mentem excitare, quàm ætatis ab hinc remotioris prodigia. Illa quippe non nisi pro ijs temporibus gerebantur; hæc nostro æuo deseruiunt: præterquam quòd et-

si illis opem suam miraculis probârit, non tamen idcirco possimus inde argumentum sumere, nobis eadem beneficia concessum iri; quæ à Deo sunt certis duntaxat temporibus attributa; ídque præcipuè post mortem sanctorum: quorũ sanctitatem vult illis operâ miraculorum indubitatam facere, quos ad horum cultum delegit. Quæ si semel tam solidis fundamentis est inædificata; remotis huiusmodi auxiliarijs fulcris vult eam suâ firmitate subsistere. Quòd si pergat talibus subsidijs diu insuper vti; non tam pro Diuorum gloriâ id agit, quàm mortalium peculiari necessitate, quibus eâ ratione consultum cupit. Sed ad nos ac nostra tempora reuertamur, quibus non minùs liberalem se suis per preces S. Bernardi exhibuit, quàm præteritis. Dicimus igitur, in Parœciâ Belfagensi apud Heluetios nimiâ terræ siccitate, quâ loci incolæ laborabant, eos fuisse compulsos, S. Bernardum solicitare: quod fecêre, precésque voto clausêre;

quo

quo se obstrinxerunt, certam frumenti mensuram cuidam religioso Ordini se submissuros. Neque diu pluuia abfuit, quæ densissima incolarum terras recreauit; vt post breue temporis interuallum sata magnam spem copiosæ segetis facerent. Id verò dolendum est, quòd, quemadmodum commodi nostri causâ DEI opem prensamus, ita cùm postulatis potiti fuimus, tam facilè ac sponte officij obliuiscamur, quo nos ipsos in rebus aduersis obstrinximus, vt DEVM ad ferendam nobis opem alliceremus. Itaque contigit, vt ciues, qui votum & cautionem conceperant, fidem ac promissa fallerent: vnde pluuia iterum stetit; veluti eousque tantummodò è cælo delapsa priùs fuisset, dum miseros ad seruandam fidem inuitaret. Ergo magnâ diligentiâ debitáque liberalitate votum expediunt; quo confecto iterum pluere cœpit: ceu nunquam antè DEVM compulissent, sensum suum testari; quo ingrati animi labem, suæ liberali-

tati tam aduerſantem, exprobrabat. Quando autem S. Bernardus gloriam ſuam exteris regionibus manifeſtam fecit; non eſt dubitandum, eum longè fuiſſe aduersùs eos liberaliorem, qui locum inhabitârunt, à ſe in viuis tot miraculis illuſtratam. Totus Clerus Auguſtanus apud Salaſſios etiamnum gloriatur, in ſuo cœtu tantæ ſanctitatis virum ſe habuiſſe: qualem eſſe, tot miraculis diſcunt, tum promiſcuè omniũ gratiâ factis, tum quæ ſuis etiam Collegis deſtinârat: ſed illud inprimis miraculum celebrant, quod añο 1616. accidit. S. Bernardus pro monumento ſuæ poteſtatis, annulum ſingulis tam Canonicis, quàm alijs miniſtris dederat; vt erat perpetuâ conſuetudine, per ſuccedentium manus in Monaſterio & Xenodochio Montis Iouis obſeruatum. Euênit poſtea, vt is ipſe annulus amitteretur, quo S. Bernardus vti conſueuit: quem illi, vt rem ſacram, aſſeruabant, neque vlla induſtria ſuffecit, quæcunque ad annulum recupe-

ran-

tandum, & explenda quorundam inueniendi desideria adhiberetur. Tum alicui venit in mentem, consultum fore, si cista quæ in sacrario asseruabatur chartis oppleta, aperiretur, nunquam, quod vllus è præsentibus poterat meminisse, se viuis reseratam. Quod consilium etsi ridiculum videretur: nihilominus cogitare pronum erat, postquam ad eam rem nihil fuisset prætermissum, quod ratio & humana prudentia poterat suadere, DEVM prodigioso euentu velle suis desiderijs obsecundare. Arca ergo patefit, chartæque situ & vetustate laceræ eximuntur: tandem in medio loculus reperitur argenteis filis contextus, recenti adhuc elegantiâ visendus. Eo diducto annulum S. Bernardi reperiunt, pulchrum, nitidum, ac splendentem, velut jam primùm ab eius digito fuisset abstractus.

Non omittam huc adscribere quædam memoratu digna, quæ quidam cognomento Petrus Valetus Parochus

Vacharellis & Vagieti, eiúsque antecessor scriptis consignârunt; licèt non tam sint recentia, neque temporum serie cum prioribus cohæreant. Non hîc faciam mentionem de testificatione testiúmque asseueratione, quæ quouis tempore potest in autographo videri. Circa annum 1616. Claudius Tupinus opificio sutor aliquando Curionem suum inuisit, eíque inscio paruam S. Bernardi imaginem ligno incisam cum face abstulit, & vt erat solutus ac malè moratus, eam ludibrio habuit. Hinc vrbem obambulans omnes obuios per ludum cogebat iconem osculari: reliquum dein diem in re tam seriâ scurrilibus jocis & cauillis traduxit. Tandem sub medium noctis domum se recepit; ac illico in toto eius corpore ignita vlcera nucis magnitudine intumuerunt. Tum verò miser vociferari ac eiulare, ita quidem, vt mox vicini exciti ad eius domum contenderent. Neque omittunt Parochum accersere; qui omnem conatum adhibuit,

buit, quò ad rectam de rebus diuinis opinionem, verúmque de noxis dolorem hunc Atheum excitaret. Tandem errorem agnouit; ritéque à peccatis absolutus, promisit, se per omnem vitam diem, S. Bernardi festum antecedentem, jeiunio exacturum. In hunc modum, antequam dies illucesceret, integrè sibi fuit restitutus. Quæ res eos religionis admoneat, qui eodem circa Religionis negotium errore laborant. Quippe tunc DEVS, cùm non possit tam pestilenti morbo lenibus cõsuetísque remedijs afferre medicinam, ignitum ferrum admouet. Si verò hæc omnia, cum ignis Infernalis consideratione coniuncta, malum in ægro tantùm exasperant; tunc sanè dici potest: *quod ignis non sanat, insanabile esse*: hominésq; huiusmodi vno jam pede Orcum contingere. Nescio, num hæc animaduersio, an verò necessitas, quæ Hubenates incolas exercebat, docuerit, S. Bernardo magis esse deuotos, quàm eousque fuêre. Horum pecus

omne, in loci illius Alpibus custoditum variis morbis aliquot annis, ingenti inquilinorum damno vexabatur. Quibus Curio paruam S. Bernardi icunculam, quam secum habebat, commonstrauit, eos hortatus, si vellent eam pestem ab armentis amoliri, cum Reuerendissimo Francisco Salesio Geneuensium Episcopo agerent, vt ipsis liceret in eo jugo ad DEI Matris ac S. Bernardi honorem sacellum condere; vbi tertiâ quauis mensis cuiuslibet Dominicâ res diuina fieret: (quæ consuetudo in hunc vsque diem perseuerat) quod cùm egissent, malum omne disparuit.

Denique vt in huius narrationis contextu multis ostendi, quantum juris à DEO S. Bernardus in ignem accepisset; ita eiusdem argumenti miraculo finẽ prodigijs imponam, vt ita quodãmodo stimulũ relinquam, ad tam celebrem Diuum in eiusmodi calamitatibus confugiendi; ac in tantâ plurium diuersitate hoc postremo gustu imbutum lectorem relinquam. Inter plura

igi-

igitur eius miracula, cùm in pago Esgletensi decem domibus esset flamma infesta, ac proximè Curionis, qui huius miraculi fidem fecit, patris ædes adoritura crederetur; ille aduersùs ignem in genua prouolutus, ipse cum duobus vicinis DEO & S. Bernardo suas ædes committit, vt ab igne intactæ manerent. Neque nocere ignis ausus est, in alias domos grassatus, quę hoc sigillo ac præsidio Diui caruêre.

CAPVT III.

De rebus memoratu dignis, quæ ad Monasterium & Xenodochium Magni & Parui Bernardi, siue Montem & Columnam Iouis pertinent.

Eorum situs & Oeconomia.

XENODOCHIVM & Monasterium in Monte Iouis, quod Bernardus Magnus appellatur, in monte totius Europæ altissimo, frigidissimo, asperrimóque situm est. Atque is ipse

mons eſt, quem aliter Penninum vocitârunt, ſiue ab Hannibale copiarum Carthaginienſium, qui Pœni dicebantur, duce, qui creditur hàc commeâſſe; ſiue quòd idolum inibi colerent, Penninum vocatum. Verſus meridiem vallem vrbis Auguſtæ ſpectat, in Septentrione Penninam regionem, in ortu Lombardiam ſiue Ciſalpinam Galliam, in occaſu editos glaciéque rigentes Fauſſignianos montes proſpicit. Locus eſt propè perpetuo frigore non æſtate minùs, quàm hieme algens, nunquam niuium expers; ceterà iniquæ tempeſtati, caligini, turbinibus, glomis niuium, aliíſque malis cum magnis periculis obnoxius. Supra montem partem dimidiam Xenodochium, alteram lacus, glacie vt plurimùm concretus, occupat. Via ab vno pede montis ad alterum duodecim leucarum eſt; vtrinque ſunt ſenæ à loco, qui S. Branchier dicitur, in ditione Penninâ, vſque ad Auguſtam ciuitatem: de his duodecim leucis quinque ſunt, ternæ cis, duæ

vltrà prorſus aſperrimæ, neminique vnquam extra dictum Xenodochium habitatę. Neq; enim ibi terra, nec ſiluę, nec paſcua ſunt, ſed nuda & ſterilis rupes. Xenodochium in Columnâ Iouis, quod minor Bernardus vocatur, in eodem montis jugo ſitum eſt, ſed procul Bernardo maiori remotum; penitúſq; ſummitati Graiarum Alpium, quà Herculem, vnde illis nomen, tranſîſſe fama eſt, inædificatum: inde via ab Auguſtanâ valle Tarentaſſiam ducit. Altitudine, aſperitate incultóque horrore vix alteri cedit. Nihilominus ob domos hoſpitales vterque locus frequentatur vt plurimùm, vtpote regia via hinc è Galliâ, inde è Germaniâ in Lombardiam contendentibus. His hoſpitijs omnes viatores recipiuntur, vndecunque veniant, pauperes æquè ac diuites, quantáq, fieri poteſt charitate habentur, prout cujuſque conditio poſtulat. Tres dies, imò ſi neceſſitas requirat, plures retinentur: vt tamen nemini fas ſit, à quoquam pretium exigere aut

compenſationem, niſi grauiter velit puniri; multò minùs ab ipſis cauſas & conſilia ſuſcepti itineris explorare. Ægri quoque, vt decet, omnibus obſequijs juuantur. Eius loci Religioſi diligentem operam adhibent, vt peregrinis auxilia vecturæque aut jumenta non deſint, vt à periculis eximantur, aut ſi qui ſunt mortui, ſepulturæ mandentur. Hinc quotidie binos è ſuo cætu deſtinant, qui hinc atque inde montem obeunt, pane, vino, & igniario ſilice, fomento, aliiſque rebus ad commeantium commoda neceſſarijs inſtructi. Interim alij domi re diuinâ ſunt occupati; neque vnquam ſacra tam ſubmiſsâ voce, quàm cantu peragi ſolita, neque matutinæ, aliarúmque horarum preces deſiderantur; quæ quotidie magnâ pietate inprimis pro domûs tutore aliiſque bene de illâ meritis decantantur. Sumptus porrò ad alendos hoſpites ſunt incredibiles: tantâ nihilominus curâ & ſtudio illis proſpicitur; vt tranſeuntibus nihil ſi non

ad

ad delicias, certè ad vitam ſuſtentandam deſit: etſi omnia magnis impenſis fiant. Et quoniam nihil inibi creſcit, oportet omnia magno labore ac ære aliunde inferre; ipſum adeò lignum totius diei itinere per juga præcipitijs horrida, ídque per tres duntaxat anni menſes aduehere. In quemuis annum pro potu ſeptingenta vini plauſtra comparanda ſunt. Opſonium maiorem partem è ſalsâ carne conſtat: etſi ſingulis triduis recens caro afferatur. Cibi verò jeiunio competentes pro modo neceſſarij vſûs aliunde aſportantur.

Quare cùm cenſus annuus ad tolerandos tam immodicos ſumptus non ſufficiat, coguntur alienam ſtipem & auxilia implorare. In quem finem quidam eius loci Religioſi conſtituuntur, qui ſubſidia colligant, donáque è vicinis prouincijs tam Catholicis, quàm alijs ſubmiſſa acceptent. Ceterùm nullâ Fidei aut ſectæ habitâ ratione promiſcuè omnibus patet acceſſus ac hoſpita-

ſpitalis charitas, quæ omnes humaniter excipit; ob neceſſarium per ea loca tranſitum maximáque auxilia, quæ omnis generis nationibus, Gallis, Hiſpanis, Germanis, Heluetijs, aliiſque præbentur: quos neceſſitas cogit iſthàc commeare. Dicta autem Xenodochia ſub Sereniſſimorum Sabaudiæ Ducum tutelâ quieſcunt; qui quot annis in hunc locum magnam munificentiam exercent. Huc ſymbolam ſuam Penninæ quoque Regionis primores, quos Dizenos vocant, conferunt, quorum ditio maiori Xenodochio eſt confinis.

CAPVT IV.

Quædam eiſdem locis peculiaria.

DOCTORES Hebræi in eo libro, quo ſententiæ Patrum cõtinentur, obſeruârunt, decem continua miracula in Templo Salomonis viſa fuiſſe; quibus DEVS oſtendebat, quan-

quantopere ſacrificijs iſtic peragi ſolitis, cultúque ſibi præſtito, delectaretur. Verùm dicere auſim, vt nihil cenſuræ adhibeam de alijs beneficijs, quæ idem DEVS alicubi pro Sanctorum ſuorum honore præſtitit, eum in his Xenodochijs multa continuò dona proſequi; quibus palàm conſtet, quantopere DEO & opus, & auctor operis cordi ſit. An non ſingularis ac memorabilis diuinæ bonitatis fauor eſt, neminem aut peſte in dictis Hoſpitijs extinctum, aut aliunde illam Xenodochio intuliſſe? peculiare vtiq; DEI potentis donum eſt, neminem fuiſſe illâ contagione afflatum. An non res eſt admiratione digna; quamuis neque noctu neque interdiu eædem domus aduenis ac hoſpitibus vacent; nullum tamen Religioſorum præcipitio aut niuium lapſu abreptum fuiſſe; licèt multi alij ibidem fuiſſent ſepulti? Deinde obſeruatum eſt, neque dominos neq; miniſtros fideles vnquam malum finem cepiſſe, aut fortunis exutos, aut

fidem creditoribus fefellisse: cùm contrà ij, qui malè rem administrârunt, vindicem DEI manum senserint, sua sacrilegia punientis. Adhæc nemo furto, fraude, malísq; artibus aliquid sibi vindicauit; qui detectus, meritóque piaculo castigatus non fuisset. An non hæc perpetua diuinæ bonitatis in has domos influxio est, quòd tot Summi Pontifices ac Principes eis fauerint, ac in tutelam suam receperint? Honorius IV. dictas hospitales ædes, omniáque illarum bona & dominia in S. Petri sanctæque Sedis fidem accepit, magnísque immunitatibus ornauit: vt apparet è Bullâ Nicolai Pontificis, qui eas denuo confirmauit: quod & alij, vt Ioannes XXII. Martinus V. & Ioannes XXIII. Eugenius IV. Pius, &c. fecerunt. Ioannes XXIII. ab omnium Archiepiscoporum, Episcoporum, aliorúmq; potestate, visitatione, correctione, subiectione ac imperio siue sint judices ordinarij, delegati, aut subdelegati, exemit Præpositos, Religiosos,

templa,

templa, Domos, & membra dictorum Xenodochiorum cum incolis præsentibus & futuris, eorum possessiones, villas, arces, Ecclesias, siue curam animarum haberent, siue vacua curis essent: vti clarè in Bullis patet. Eadem priuilegia quoad Iurisdictionem temporalem fuêre ipsis à Ludouico Sabaudiæ Duce concessa, Præpositis ac Religiosis ita supplici libello postulantibus. Quæ omnia in eum finem facta sunt, vt liberiùs possent DEI obsequio vacare, commodiúsque transeuntibus opem ferre. Amadeus Sabaudiæ Dux & Maria illius coniunx eadem Xenodochia & Monasteria tutelâ suâ maximísque beneficijs dignati sunt. Postremò in Rocherfortensi arce manu exaratum volumen repertum est, quo ordo & dictarum domorum restauratio continetur, Eugenij IV. jussu facta anno 1437. vbi regulæ & statuta tam præclara, & tam aptè conscripta, vt nihil melius excogitari queat: quin & Ioannis Cardinalis titulo S. Petri ad Vincula sigilla

ex vtrâque libri parte inuolucro, juxta formam authenticam, ſunt inſerta: cùm ei vt delegato id muneris eſſet commiſſum. Verùm ante omnia huic loco peculiaria Sanctitas auctoris eminet, quæ opus illius conſecrauit. Cuius memoria ſemper erit in benedictione, & gloria cum Diuorum præcipuis comparanda.

SYLLABVS

Eorum, qui vtrique domui præpositi fuêre.

S. *BERNARDVS, auctor anno* 962.

Richardus Valdiserius, vir eximiæ virtutis S. Bernardi in Archidiaconatu & Præpositura, vt putatur, succcessor: qui, quòd S. Bernardo esset perquam familiaris, eiúsque in pietatis exercitijs sodalis, illius vitam & miracula conscripsit. 1008.

Vldrinus. } 1167.
Armandus }

Petrus 1220.

Falius 1240

Martinus 1232

Ioannes Dugnyus 1320

Guilielmus Thorazius 1324

Guilielmus Pisyus 1350

Ioannes Viguierius 1360

Rudolphus Billensius 1362

Amatus Cicalsius Patriarcha Ierosolymitanus, qui partem Coronæ Spineæ Christi D. N. attulit: quæ in Xenodochio &

Mona-

Ad maiorem DEI gloriam.

INDEX

INDEX CAPITVM,

Quæ hoc libro continentur.

LIBER I.

XII. S.

LIBER II.

FINIS.